




Christiani Kisu āo 97. d. 25. Junii

Sum [illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. 9ᵘ Pontificios de hac mat.ᵃ aᵒ 1649. editam p. 831.

Solida Vindicatio SANCTITATIS DEI,

Ne per imprudentiam & abusum vocabulorum, in hac materia occurrentium, causa peccati stastuatur:

Vbi voces, Causa per se & per accidens, & difficilia quædam Scripturæ dicta, unde nonnulli ansam errandi sumpserunt, ex fundamento explicantur,

Cum Dedicatione ad Illustres Borussiæ Ordines, & Præfatione ad Lectorem,

Auctore
CHRISTIANO DREIERO,
S. Theol. D. in Academia Regiomontana Professore, nec non aulæ Electoralis Brandenburgico-Prutenicæ Concionatore, & Consistorij Sambiensis Adsessore.

REGIOMONTI,
Excudebat JOHANNES REUSNERUS,
M DC LIIII.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
Electoris Brandenburgici, &c.
Supremis ad Regimen Borussiæ
constitutis Dnn. Consiliariis,
VIRIS
Illustribus, Generosis, Magnificis, Prænobilissimis,
Patriæ Patribus eminentissimis;
NEC NON
Inclytis ejusdem Ordinibus ac Statibus
omnibus,
Baronum, Consiliariorum cæterorum,
Nobilium, Civitatum,
VIRIS
Illustribus, Generosis, Magnificis, Prænobilissimis, maximè Strenuis, Amplissimis,
Consultissimis,

Dominis meis gratiosissimis, Patronis summis & maximis

Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro
Jesu Christo precor.



Reve quidem, quod nunc offero, scriptum est, Patriæ Patres, Proceres ac Domini, Domini Gratiosissimi, omniumq; Ordinum honoratissimi, sed jure quodam Vestrum, cum primi satis prolixi in vernacula nostra lingua adornati Vestrisq; Augustis

 nomi-

nominibus inscripti quædam explicatio sit. Tertia enim quæstio cum prorsus pendeat à Philosophicorum vocabulorum evolutione, non satis declarari posse nostrâ linguâ videbatur. Ideo quod nonnulli jure quodam suo flagitare velle putabantur, ultrò addidi, ne qui fortè, si porro nodum in scirpo quærerent & aliorum probè dicta in sequiorem partem traherent, ex obscuritate dictorũ malæ causæ patrocinium sumerent. Materia quoq; ita cõparata est, ut si quis cavillari & viris bonis apud alios, quibus præsertim nõ satis innotuerũt, odium conflare velit, improbitatis suę in ea exercitium egregiũ habere queat.

Mihi autem veritati litare & juventutis atque Ecclesiæ commodo inservire propositum est, cui nisi scriptum hoc prodesse putarem, nunquam publicæ luci darem, sed æternis potius tenebris damnatum vellem. Ad injurias, quibus huc usq; affectus sum, publicis scriptis vindicandas nõn adigor: Non enim quî vindicet, sed quî perferat injuriam Christiano cogitandum est; *nec qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est*, judiciô Hieronymi, qui eandem mecum sortem expertus est, Epist. 77. ad Marcum Celedensem. Tam quoq; sunt horridæ & petulcæ, quibus impetor, calumniæ, ut eas quidem viros cordatos & prudentes non movere, magnum autem causæ meæ emolumentum afferre existimem. *Si in eis, quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quò nullus*

lus oculus mortalis intenditur, non solùm contristari non debeo, verùm etiam gaudere & exultare, quia merces mea multa est in cælis. Neq; enim intuendum est, quàm sit amarum, sed quàm falsum, quod audio, & quàm verax, pro cujus nomine hæc audio. —— *Si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verùm etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium*, dico cum Augustino ex lib.3.contra literas Petiliani Donatistæ c.6.& 7.

Rem ipsam declarare institui bono publico non minus in hoc, quàm in priori Tractatu. Nec displicebit, spero, opusculum æquo animo id perligenti & omnia ad justam trutinam expendenti. Nihil novi aut exotici hîc deprehendet, sed quod ex antiquæ doctrinæ, sive Theologiam, sive Philosophiam (utriusq; enim hîc habenda est ratio) spectet, medullis petitum sit, & proinde Symbolis Ecclesiarum nostrarum Theologorumq; nostrorum doctrinæ ubiq; receptæ, inprimis autem hoc in loco â tot annis propositæ & defensæ per omnia conforme. Quod quidem cum perspicuè demonstrarim, nunc eò certius mihi persuadeo, non fore, ut me â Symbolis Ecclesiarum nostrarum discedere credatis, etiamsi quidam mei, citra tamen culpam meam, osores id crebrò ad aures Vestras perferant, qui tamen quod inclementer de me sentiant & lo-

quantur, vel hinc pro summa Vestra prudentia cognoscetis, quod cum ad probationem deventum est, literam nunquam proferant, sed consequentias nectant, & tam elumbes quidem, ut vel statim ineptæ & ridiculæ appareant, vel tantis obscuritatibus involutæ, ut nemo eas intelligat, ne dicam, quod sæpe falsâ superstruantur relatione & opinione non meâ, sed mihi nitantur affictâ. Unde porro Theologis nostris & Symbolicis libris alienum potius sensum, effreni suo compulsi affectuum impetu, affinxerint, quàm ut mihi nō contradicere vel nullam in me causam habere viderentur. Magnū ad calcem hujus Tractatus Theologorum nostrorum catalogum recenseo, qui idem mecū sentiunt & loquuntur. Quod si illi â libris Symbolicis non discedunt aut culpam aliquam incurrunt, nec mihi quicquam vitio verti potest; Ne latum enim, quod dicitur, ab ipsis unguem recedo, sed idem cum ipsis sentio, dico, doceo. Cur in me damnaretur, quod in aliis omnibus approbaretur, nisi fortè odium in me tantum esset, ut nihil quidem ego dicerem, nisi propterea, quia ego dicerem, absurdum putaretur? Cur non eodem, quo alij Theologi, & ego fruar jure, ut illud in me rectum judicetur, quod in aliis albo notatur calculo? Declarationes ad testimonia nostratium non adjicio: Tam enim perspicua sunt, ut ulteriori declaratione non indigeant & omnes sponte cavillatorum detorsiones elidant. Ex hac porro quæ-

stione

ſtione pro ſapientia ác prudentiá divinitus ſupra cæteros mortales Vobis conceſſa & de reliquis omnibus, quorum, ſi placet, parilis declaratio ſemper mihi in promptu eſt, judicium feretis.

Non hîc de fide & fundamento religionis agitur, non de iis, ad quæ per libros ſymbolicos ſumus adſtricti, ſed de quæſtionibus extraneis Scholaſticis, quod vel inde cognoſcere Vobis datum eſt, quia earum deciſio ex debita explicatione & applicatione vocabulorum in bonis artibus uſitatorum petenda eſt; & deinde quia nonnullæ tam ſunt intricatæ, ut doctiſſimi ſibi vix ſatisfacere queant: Cujuſmodi quæſtiones ad communem fidem omnes obligantem imo & ad communem Eccleſiaſticorum quorumvis doctrinam nō pertinent, ſed ad eos tantùm, qui majora & ſubtiliora in Scholis ad fidem adverſus eruditos & pertinaces adverſarios defendendam media querunt. Eapropter etſi ad abſurda multa & maxima deduci poſſunt, qui mihi contradicunt, non tamen inde periculum aliquod fidei oriri poſſe puto, eò, quod ij tantùm qui in Scholis laborant & informantur, vel aliàs inſtructam inſigni eruditione ſupellectilem habent, hæc cognoſcant & intelligere valeant, & porro qui intelligunt, abſurdam, quæ elicitur, concluſionem, nunquam; præmiſſas ſeu ea, per quæ colligitur, non facilè, admiſſuri ſint. Ideo nec dilectionem fraternam ipſis negare poſſum, quia nondum per omnia conſtat, quod ea,

unde

unde ſequuntur abſurda, planè probent aut pertinaciter defendant, vel ullum, qui in fundamentum fidei directè impingat, errorem propugnent. Laborandum quidem eſt, ut ſinceri & recti modi loquendi in materia præſenti & aliis ſimilibus retineantur, præſertim ſi deprehendamus, quosdam affectibus impulſos novas iis ſignificationes affingere; ſed propterea, quòd vocabula Scientiarum & artium non ſatis didicerit vel iis non rectè utatur, neminem de hæreſi ſuſpectū habuero, nec dilectionem ipſi, quæ fratribus debetur, negavero. Diſputandum de his eſt in Scholis in fraterna charitate, informandi ſunt animi dubitantium, donec quid verum vel maximè probabile ſit, innoteſcat.

Quid prohibet, Patriæ Patres & Proceres, Domini Gratioſiſſimi, honoratiſſimi, quò minus Scholaſticæ ad Scholas remittantur controverſiæ, ut qui adhuc in declarationibus meis aliquid deſiderant, coràm ex ore meo informationem petant? Cum enim in Cathedra poſitus ſim Academica ad unicuiq; poſcenti ex ea rationem reddendam, ibique adeo publicum quoddam de veris & falſis dogmatibus judicium conſtitutum ſit, quidni omni juri conſentaneum fuerit, ut in ea ante omnia accuſator hoc in loco præſens me ſuis, quibus nititur, rationibus adoriatur, & eorum, quorum me inſimulat, magnorum errorum convincat. Sto in judicio competenti, in cathedra, huc veniat, qui in doctrina

mea

mea quid desiderat, informationem accipiet, quâ, ut spero, contentus esse queat. Quid prodest inutilibus mundum chartis opplere, aliorum famam falsis post tergum relationibus arrodere, ad justam vindictam Numen provocare? Retineatur mos antiquus, ut controversiæ in Scholis enatæ disputentur & eliquentur in Scholis: Neq; enim doctrinalia ad forum civile pertinent, sicut nec civilia ad forum doctrinale, hoc est ad Scholas. Quid pulvis Scholasticus in tribunalibus agitatur Politicis? Quid summos solicitare viros, majoris momenti rebus intentos, necesse est, ut Scholastici & contradicant sibi legitimè & argumenta sua aut forment aut solvant ex arte. De eo ipsi viderint, qui in Scholis laborant. Quod si sit, qui libros Symbolicos evertere moliatur, statim ex propria confessione prodetur in cathedra, nec poterit latere sententiis ultro citroq; ventilatis. Sic res ad liquidum perveniet, & multo Vos, Patriæ Patres, labore imo & periculo liberare poteritis: Non enim exiguum periculum est, si Magistratus eò per falsas delationes adigatur, ut in insontes statuat, cujus eum postea, Numine præsertim publicis pœnis indignationem ostendente, pœniteat.

Nunc cum convenitis, & graves deliberationes emolumentum patriæ concernentes suscipitis, statim adsunt, qui multis molestisq; apud vos querun-

tur vocibus, violari in Academia fidem, labefactari religionem, convelli libros fundamentales ac Symbola Ecclesiarum nostrarum: Exhibent & chartas bene longas, quibus nescio quæ errorum terriculamenta & portentosorum nominum formidamina præferunt, ad præoccupandos omnium animos nihil reliquum facientes; cum interim ego omnem sermonem, quo me gravant, falsum dicam, donec ab accusationibus identidem repetitis ad probationem descendant & formato prius controversiæ Statu, quem nondum sciunt, nec scire desiderant, forsan quia eo detecto non haberent amplius quod accusarent, rationibus me convincant. In præsentia ad auditores meos, tum in Ecclesia, tum in Academia provoco, qui istis licet diris accusationibus ne tantillum moventur, cum diversum ex ore meo audiverint & audiant quotidie. At ex Vestro ordine, Proceres, pauci pro concione me verba facientem audiunt, Scriptum meum aliis gravioribus negotiis intenti legere forsan non possunt, vel etiam nondum acceperunt; multi sunt, qui mira sæpè auribus Vestris ingerunt. Sic Vestrum quorundam occupantur animi, & accusatores etiam per potestatis Politicæ abusum se obtenturos tandem sperant, quod per causæ justitiam obtinere nequeunt, controversiâ in legitimo foro nondum discussâ & parte accusatâ nec convictâ nec auditâ.

Multi

Multi enim ſacri & horridi libri, affectibus hominū ſervientes & quidvis fingentes, neminem convincent, ſed accuſati innocentiam omnib⁹ prudentibus magis probabunt. Audienda & altera pars eſt & in competenti quidem judicio: accuſator ſequatur forum rei, non vice verſa. Forum mihi competens in Cathedra eſt Academica, hîc prius diſcutiantur & ventilentur controverſiæ, quam tribunalia pulſentur civilia.

Sublevate vos, Patriæ Patres ac proceres, iſto non neceſſario, quod vobis imponitur, onere. Remittite ad Scholas intempeſtivos accuſatores, ut iis, quibus agitantur, ſcrupulis liberentur, & omnia, quæ hactenus convulſa ſunt, in ſuum ordinem reſtituantur. Conſtat enim, cum ſine ordine controverſias tales foràs raptandi licentia datur, quanta cuiq; monſtroſas, neſcio quas, opiniones aliis affingendi, calumniandi, conviciandi, & viros maximè inſontes in odium aliorum adducendi, feneſtra aperiatur. Imo viam hanc patentem dico, qua ordo tandem Profeſſorum planè conculcetur, ſolida eruditio hinc exterminetur, & Dei vindicis offenſio incurratur. Si enim vir bonus, quicunq; fuerit, officio ſuo fungatur è Cathedra profitendo & diſputando, & alius inferioris eruditionis & ſubſellij homo ei malè cupiat, ſtatim eum heterodoxias poſtulaverit & auctoritatem factione quadam ſibi con-

cilians magnas turbas excitaverit. Unde fortuna, fama & vita virorum bonorum, qui ut plurimùm per causæ bonitatem securi sunt & ejusmodi machinationes floccifaciunt, in discrimen advocaretur. Ne dicam de aliis, quæ inde oriri possunt, malis: Non enim Deus ad clamantia in cælum peccata, quibus opprimuntur insontes, vindictam protelare solet.

Non patiemini, Patriæ Patres, vobis persuaderi, quod disputationes & colloquia in Scholis omni careant fructu: Quî enim Servator singularem suam ipsis præsentiam promisisset, Matth. 18. v. 20. si nullam Ecclesiæ præstarent utilitatem. Quomodo Servator ipse ad ea hostes veritatis pertraxisset? Quomodo Apostoli & omnes jam inde ab initio doctores iis ad inquirendam, illustrandam & defendendam veritatem usi fuissent, si suo prorsus fine frustrarentur? Disputandum quidem cum omnibus non esse, ipse monet Aristoteles lib. 8. Topic. cap. ult. quorum scilicet animi sunt exacerbati, sed exercitij gratiâ: Interim cum legamus Christum & Apostolos etiam cum infensissimis veritatis hostibus interdum congressos esse, & ab Episcopo, ut pertinacibus etiam seductoribus os obturet, requiratur, Tit. 1. v. 11. nec cum ejusmodi hominibus disputationes planè detrectari queunt: Verùm legibus certis ac pœnis intra modestiæ repagula cöercendæ sunt, ne ex di-

sputa-

ſputatione, injuriarum & conviciorum certamen exeat. Hoc pacto diſputationibus rectè informatis animi & diſputantium & audientium ad veritatem cognoſcendam diſponuntur, affectus imaginationibus quibusdam commoti ſedantur, veritas in lucem protrahitur & tandem palmam obtinet.

At, inquiat aliquis, nullus eſt judex in Scholis, qui litem dirimat, inde contentiones trahuntur in infinitum. Imo, inquam ego, datur judex, qualis in doctrinalibus haberi poteſt: Neq; enim in foro civili verſamur & de juſto atq; injuſto litigamus, ad quorum certaminum compoſitionem requiritur judex viſibilis, qui dicat, tu viciſti, tu cauſa cecidiſti, iisq; dictis, ſi ſupremum judicium ſit, ſtatim acquieſcendum eſt. De doctrina diſceptamus, & quid verum, quid falſum ſit, inquirimus, ubi judicandi facultas penes omnes eſt, qui auſcultant & quæ dicuntur intelligunt: Sive, ut clarius dicam, ſua cuiq; conſcientia cum rationibus conſtricta eſt, judex eſt, ut hoc aut illud vel approbare vel improbare cogatur. Et quàm diu quidem nondum conſtricta eſt, informationem petat oportet; quod ſi conſtricta ſit, & per pravos affectus tamen quis in contrarium nitatur, & agnitam veritatem oppugnet, Judici univerſorum propediem venturo rationem reddet, & ſi de protervia & malitia ſatis conſtet, tantiq; controverſia momenti ſit, Magiſtratus quoq; animad-

verſionem incurrerit. Aliud quidem in doctrinalibus judicium non habemus, ſive controverſias in Philoſophia, ſive in dogmatib⁹ Eccleſiaſticis ſpectemus. Unde ſi vel maximè pro lubitu noſtro alium judicem conſtituamus, cujus dictis & deciſioni ſimpliciter acquieſcamus, tam tamen aberrare â veritate & tenebras in patriam inducere, quàm illam attingere & conſervare poſſumus: Non enim hominum imperio, ſed rationibus, quæ quidem in Theologia ex ſacris literis petuntur, veritas cognoſcitur.

Cautè igitur hîc procedendum eſt, ne Apoſtolica nos comprehendat comminatio 2. Theſſ. 2. v. 11. quæ jam Romanam judicat curiam, dum ejusmodi Eccleſiæ Chriſti obtruſit judicem, qualem ipſi Chriſtus dare noluit, quiq; per confictam ſuam auctoritatem dogmata in Eccleſiam monſtroſa & abuſus intolerabiles invexit. A Servatoris arbitrio pendemus, qui quod ſufficere Eccleſiæ ſuæ putavit, nos tanquam inſufficiens ſupplere noſtris adinventionibus nõ moliamur. Informationes ab aliis, etiam cõciliis & congregationibus peti poſſunt, ſed ſupremum infallibile judicium, quo ſimpliciter ſtandum ſit, ſoli Chriſto in Eccleſia competit, qui nunc loquitur nobis per Scripturas rectè expoſitas, & interius per ſpiritum ſuum animos rationibus convincit, & viſibilis judicis partes in futuro die obibit,

in iis quoque majus lumen daturus difficultatibus, ex quibus in hac vita etiam doctissimi se expedire per omnia, nesciverunt, coram cujus tribunali ut dignè compareamus, omnes optamus &, uti fas est, nos apparamus.

Fateor tamen, hanc viam per colloquia & disputationes cum contradicentibus agendi pertinere ad eos, qui hoc in loco præsentes sunt. Contra extraneos obloquentes scriptis opus est, in quorum gratiam & Tractatum hunc potissimum adornavi, ne quis causetur, me sententiæ meæ metuere & aliorum judicium subterfugere. Imò verò omnium bonorum judicio, ut priorem, ita & hunc Tractatum subjicio: Judicet orbis, quid de mea mihique sine causa contradicentium sententia statuendum sit; judicet unusquisq;, sed ita judicet, ut rationibus & argumentis, non affectibus se parti astringat vel affirmanti vel neganti.

Erga vos, Patriæ Patres, Proceres & Patroni summi, eâ nitor fiduciâ, fore, ut hoc meum qualecunq; ad commodum publicū directum scriptum æqui boniq; consulatis, easq; partes, quas jura accusato dant, magis favorabiles, mihi quoq; tribuatis, ut si quidem accusatores mei audiantur & mea defensio sereno a Vobis sucipiatur vultu, & benignis, quæ â me dicuntur, percipiantur auribus. Sanctâ justitiâ, uti fas est, nihil prius aut antiquius habe-

tis,

tis, â quâ & hæc provincia laudem hucusq; singularem indepta est, non sinetis delatores in causa injusta triumphum agere & ignominiæ aliquam labem patriæ nostræ aspergere. Deum veneror, ut cum novo anno novas vobis animi atq; corporis vires concedat, omnia mala his calamitosis temporibus procul â vobis arceat, Vos patriæ bono quam diutissimè sospitet & terrena pariter atq; cælesti benedictione perfundat. Dabam Regiomonti Pridiè Idus Januarias ∞ IↃc LIV.

Illustres Vestras Generosit.
& Magnif.

ut &

Illustres & Prænobilissimas
Amplit. & Dominationes
Vestras

Submissè ac devotè
colens

Christianus Dreier, D.

Præfa-

Præfatio ad Lectorem.

Miraberis sine dubio, Benevole Lector, quod tritam & multorum scriptis jam dudum discussam quæstionem tanto molimine, comportatis hinc inde & Philosophorum & Theologorum testimoniis, denuò sub incudem revocare & cum tuo quodam tædio repetere non dubitarim: Sed enim scire te velim, quod ita quidem mea nunc ferat conditio, ut lyncei quidam censores non patiantur me aliis majoris momenti laboribus in gloriam Dei directis sine interpellatione incumbere, in quorum tamen gratiam vix manum verterim, nisi turbata juventus & alij nonnulli ex occurrentibus quibusdam difficultatibus se extricare non valentes, explicationem uberiorem â me flagitâssent: Apud quos quidem si suo fructu non frustretur opusculum, me satis meo munere defunctum existimem, etiamsi alij nihilo inde fiant meliores, qui ad omnem fermè declarationem & solidam tum hujus, tum aliarum quæstionum evolutionem aures obturant, & eo ipso, quo â me quid dictum audiunt, tanquam absurdè dictum sit, rejiciunt, damnant, insectantur.

Ultima scilicet tempora sunt, quibus paulatim charitatem in cordibus hominum extinctum iri, dudum Servator prædixit. Neq; enim in id, quod ad Ecclesiæ commodum & rei literariæ incrementum facit, amplius intenti sunt, sed quomodo suis serviant affectibus, & quod non sunt nec defendunt, tamen esse & defendere videantur. Denegent verò mihi dilectionem, quam scripto satis prolixo

& explicatione sententiæ meæ satis luculenta exorare non potui, hoc in minimis habuero, modò non dilectionem Ecclesiæ negent & ad condendi schismatis usq; malum suis reprehensionibus & contradictionibus vanissimis prolabantur. Disputent super his, quas moverunt, controversiis, idq; bonâ, nempe veritatis indagandæ intentione, nec temere bonis viris, itidem Deo litantibus & opellam suam bono publico consecrantibus dicam hæreseos scribant, eorumq; nomen nescio quibus ignominiosis ex orco petitis vocabulis traducant, non facilè putarim id ipsis vitio vertendum. At in his mansuetudinis & Christianæ dilectionis cancellis quidam nullum laboris sui fructum constitutum putarunt: Ea, quæ Christi membris debetur, dilectio iis, qui nuper inventa somnia non probarent, neganda in eorumq; perniciem dira quævis molienda erant.

Quem in finem non argumentis ex Scripturis & Antiquitate pro more, adhibito veræ Philosophiæ adminiculo disputant, sed libros Symbolicos vellicant, torquent, lacerant, ut imperitis, quod ab iis recedamus, persuadeant, & sic in multorũ animis summũ in bonos viros odium accẽdant. Theologum existimarim decere, ea, quæ in Symbolis Ecclesiarum continentur solidis fundamentis Scripturæ & Antiquitatis superstruere, nec ea cum antiqua doctrina Apostolica hostiliter committere, in tripudium præsertim & plausum adversariorum, qui ex talibus datis & concessis promptè concludunt, in iis novam & hæreticam doctrinam contineri. Putârim veram doctrinam solidis

rati-

rationibus suffulciendam, & tam perspicuè etiam hostibus veritatis ob oculos ponendam, ut tandem claro jubare oculos eorum perstringente, meliora docentibus cederent. At his missis, novi censores fratribus bellum indicere & in fidei domesticos hostilia arma convertere maluerunt, quin & hos non ordinariâ viâ, quod nimis laboriosum videbatur, sed compendiô quodam aggredi carnalis ipsis sensus suadebat, si scilicet quos sibi adversarios elegissent, eos â libris Symbolciis dissentire mentirentur, &, quos ipsi fingunt, errores diris notarent vocabulis, hactenus in nullo hæreticorum catalogo repertis, ut lector ad ipsum monstrosum nomen statim obstupesceret & aliquid mali alterius sententiæ subesse suspicaretur. Nec hoc sufficit, præterea coactâ quadam multitudine & emendicatis passim in causam suam suffragiis rem agunt, coëunt, consultant, conferunt, conjurant, potestate etiam civili, quantùm fieri potest, in subsidium advocata. Hæc enim via planè expedita videbatur, quâ sententiis aliorum, quæ rationibus expugnari non poterant, per vim oppressis, splendidum de iis triumphum agerent: Neq; enim sic argumentis & rationum ponderibus indigent, sed modo imperent, quod sentiunt, jam alij idem ambabus, quod dicitur, manibus amplecti cogentur.

Verùm, ô boni, nullum hæc ad defensionem miserabilis causæ momentum afferunt, negatæ autem ejus, quæ debetur Ecclesiæ Christi, dilectionis indicia manifesta sunt. Quisq; enim hanc debet Ecclesiæ charitatem, ut cum omnibus ejus membris interna spirituali communione cohæ-

reat, quâ cum talis præpostera in quæstionibus Scholasticis damnatio & ex Ecclesiastica communione verorum Christianorum exclusio adversa fronte pugnat. Nonne omnibus, in quibus jure quis cedere poterat, Ecclesiæ unitatem & tranquillitatem præferri oportebat? nonne conscientia dictabat ab ejusmodi ad scindendam unitatem machinationibus abstinere, etiamsi manifestam quis tueretur veritatem? nonne obligati erant eos, qui errare videbantur, mansuetudine secundum præscriptum Apostoli in viam reducere? Jam cum pro mansuetudine crudelitatem induerint & immeritos â communione separent & pro rationibus Symbola Ecclesiarum, â quibus nemo, qui ad ea obligatus est, sciens discesserit, objectent, imo mala quævis in capita innocentium deposcant, charitatem profecto Ecclesiæ debitam ê pectore excusserunt, ejusq; unitatem per importunos affectus scindere cœperunt: Idq; tantò magis, quantò majori audaciâ quod manifestè falsum est, pro vero venditant & sui cerebri figmenta aliis pro articulis fidei sub æternæ salutis jactura credendis obtrudunt.

Ut hoc elucescat clarius, fingamus, prodire duos adversis sententiis dissidentes in quæstionibus Scholasticis non magni momenti, quamvis nec ea, quæ fidem concernunt ab hac penitus fictione excludantur: Unus constrictus & convictus sit in conscientia solidis rationibus & argumentis, nec in alterius sententiam concedere possit, nisi rationes, quibus ligatus est, prius solvantur; interim quærat in charitate & cum dissentientibus communionem habere optet, donec ad verum liquidum perveniatur; alter

ter morosè imperet contrariam sententiam & minetur factionibus, anathematibus, edictis prætoriis, nisi quis amplectatur, quod dicit, etiamsi validas ad dicta sua confirmanda rationes non afferat nec multum de iis laboret, sed pro illis externam potius vim captet, quâ dissentientes vel ad consensum redigantur vel omni fortuna exuantur. Utri sodes ex his charitas Ecclesiæ debita deest? nunquid ei, qui per rationes evidentes in conscientia constrictus, negare id, de quo convictus est, contra conscientiã non potest, ne peccatum mortale & damnabile committat? an ei, qui illegitimis & nihil ad rem facientibus mediis alios in suam opinionem cogere & vi quadam pertrahere conatur, omni ipsis communione negata, nisi consentiant? Existimarim sanè hunc posteriorem charitate distitutum ea moliri, quæ Christianum non decent, idemq; mecum omnes judicabunt boni, quibus Ecclesiæ salus curæ cordiq; est.

Ipsæ enim hæ quæstiones & talibus similes nunquam causa schismatis sunt, si in fraterna charitate ad commodum publicum ventilentur, ut ultrò citroquê allatis rationibus tandem, quid verum vel maximè probabile sit, appareat. Imo de talibus disputare necesse est, ut crescat nostra cognitio, 1.Cor.1.v.9,10. Col.2.v.2. Aliud enim est fides, aliud cognitio, quæ sequitur fidem; fides simpliciter quæ credenda omnibus sunt ad salutem apprehendit & assensu probat, cognitio demonstratio per rationes & causas est, cur hoc vel illud verum vel credendum sit; fides semper eadem est, sed cognitio sua indies habet incrementa, sicut Apostolus ipse hoc inter fidem

 & co-

& cognitionem discrimen notat, 2.*Cor*.8. *v*.7. *Eph*.4.*v*.13. *& cum eo antiqua Ecclesia semper docuit:* Oportet, *inquit Clemens Alexandrinus seculo II. lib*. 7. *Stromatum in medio*, ab hac fide eductum & in ea auctum, gratiâ Dei, quoad ejus fieri potest, ejus accipere cognitionem. *Quid intelligat per fidem & cognitionem, postea indicat, dum ait:* Fides autem, ut semel dicam, est brevis & compendiosa eorum, quæ necessaria sunt, cognitio: Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum, quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur. *Origenes III. seculo lib*.8. *in cap* 12. *Roman. in illa verba, sive prophetiam, secundũ mensuram fidei, ita scribit:* Fides quidem, quæ speret & credat & absq; ulla dubitatione confidat, in nobis est: ratio verò fidei ipsius & scientia & perfectus eorum intellectus, quæ credimus, donatur â Deo. *Fidem in nobis esse seu fidem jam nos habere, quatenus Christiani sumus, dicit, in cognitione autem Deo donante nos proficere. Zeno Veronensis vel quicunq; fuerit auctor Serm. de Fide Tom*. 2. *Biblioth. Patrum:* Fides, *inquit*, profecto non est, ubi quæritur fides ——— sicut semel creditur, ita semel ex eo, quod creditum est, consummata fides ultrà nec minuitur nec augetur ——— sciat unusquisq;, aliud esse fidẽ, aliud tractatum, *nempe quo acquiritur cognitio. Hieronymus comment. in cap*.4. *Marci Tom*.6. Secundum mensuram, *inquit*, fidei unicuiq; dividitur intelligentia mysteriorum & adjicietur, dum scientiæ

etiam

etiam adjicientur virtutes. Qui enim habet, dabitur ei, id est, qui habet fidem, habebit virtutem: & qui habet opus verbi, habebit intelligentiam mysterij. Et qui non habet econtra fidem, deficit virtute. Et qui non habet opus verbi, ejus intelligentiâ caret. *Augustinus idem non semel inculcat*, *Epist.* 222. *Tom.* 2. Ideo, *ait*, rationabiliter dictum est per prophetam: Nisi credideritis, non intelligetis (*Esai.* 7. *v.* 9.) Ubi procul dubio discrevit hæc duo, deditq; consilium, quò prius credamus, ut id, quod credimus intelligere valeamus. Proinde ut fides præcedat rationem, rationabiliter visum est. *Lib.* 9. *de Trinitate cap.* 1. *Tom.* 1. *addit*: De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla TEMERITATE affirmemus: in illis autoritas tenenda est, in his veritas exquirenda.

Igitur qui salva manente fide, imo & salva & inconcussa manente communi in libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum contenta docendi ratione, cognitionem uberiorem in cæteris quærit, præsertim ut eo melius pertinacibus adversariis obviam ire queat, retinens vinculum charitatis, quo omnia Ecclesiæ membra inter se colligantur, nequaquam schismatis postulari potest, sed si sacris docendis præpositus sit, facit, quod sincero & diligenti Theologo ex officio incumbit. Manet ergo, quod qui ex talibus quæstionibus ansam sumit eo præsertim, quem diximus, modo alios â communione præcidendi omnemq; ipsis, quæ membris Christi debetur, charitatem negandi, schismaticus

maticus sit eam ob causam, quod, licet fidem integram habeat, invidiâ, odiô, iracundiâ & aliis affectibus charitati oppositis unitatem Ecclesiæ scindat. An dubitant? Audiemus doctores antiquos. S. Cyprianus Martyr seculo III. lib. de Unitate Ecclesiæ hac de re sic loquitur: Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & lenitas agnis & ovibus coæquetur. *Et postea:* Pacem nobis Christus dedit: concordes atq; unanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atq; inviolata servari mandavit: exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. *Concilium secundum Oecumenicum Constantinopolitanum I. seculo IV. Canone 6. Tom. I. Concil. schismaticos dicit,* Qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. *Ex defectu scilicet dilectionis, quam Ecclesiæ debent, congregationes adversus congregationes faciunt, in quo ipsum consistit schisma. Hieronymus in Commentar. ad Tit. 3. C. 24. quæst. 3. cap. 26. sic scribit:* Inter hæresin & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat: Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. *Augustinus seculo V. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. Tom. 7.* Nulli, *inquit,* schismata facerent, si fraterno odio non excæcarentur. *Et lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 19. Tom. 4.*

C. 24.

C.24.q.1.cap.29. Neq; ſchiſmatici, *inquit,* aliquid ſibi ex iſta mercede (*pacificis quæ dabitur*) promittant, quia ſimiliter, ubi charitas non eſt, nō eſt juſtitia. Dilectio enim proximi malum non operatur: Quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti. *Lib.10. contra Fauſtum cap.3. Tom.6 ſcribit:* Schiſma, nî fallor, eſt, eadem opinantem atq; eodem ritu colentem, quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio. *Lib.2. contra Creſconium Grammaticum cap.3. Tom.7. refert definitionem hæreſeos & ſchiſmatis, quam dabant ipſi Donatiſtæ:* Hæreſis eſt diverſa ſequentium ſecta: ſchiſma verò eadem ſequentium ſeparatio. *Subintelligendum autem eſt,* in fide: *Hæretici enim diverſam fidem faciunt; Schiſmatici autem eandem fidem habentes alia occaſione ob defectum charitatis ſeparantur & diverſas atq; adverſas congregationes faciunt. Gregorius M. Epiſcopus Romanus ſeculo VI. lib.18. Moralium cap. 15.* Alij quidem, *inquit,* prava de Deo ſentiunt, alij recta de autore tenent: ſed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, iſti vero ſchiſmatis perpetratione diviſi ſunt.——— Qui enim de Deo perverſa ſentit, liquet profecto: quia Deum non diligit. Qui verò de Deo recta ſentiens, â ſanctæ Eccleſiæ unitate diviſus eſt, conſtat, quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat. Quisquis ergo ab hac unitate matris Eccleſiæ ſive per hæreſin de Deo perverſa ſentiendo, ſeu errore ſchiſmatis proximum non

 dili-

diligendo dividitur, charitatis hujus gratiâ privatur. *Rabanus Maurus Episcopus Moguntinus seculo IX. lib.2. Instit. Cleric. cap.58. Tom.10. Biblioth. Patrum scribit:* Schisma â scissura animorum nomen accepit: Eodem enim cultu, ut cæteri, solo congregationis delectatur dissidio. *Quod & repetit Hincmarus Episcopus Rhemensis in Gallia Opusc.55.cap.36.Tom.16.Biblioth. dum ait:* Schisma â scissura est animorum, ut Catholici doctores dicunt, vocatum: Eodem enim cultu, eodem ritu credit, ut cæteri, solo congregationis delectatur dissidio.

Nemo ergo dubitet, quin schismatis reus sit, qui alij, quo cum præsertim multi communionem habent, dilectionem membris Ecclesiæ debitam negat. Quantum verò malum schisma sit, non puto, facilè quenquam fugere. ATHEUS est, profanus est, hostis est; habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, *ait Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ:* Observate, ne veniatis ad inferos, & illîc inveniatis Core, Datan & Abirom schismaticos, magistros scilicet vestros, *scribit Optatus Milevitanus lib.6. contra Parmenianum Donatistam. Chrysostomus schisma non minus esse malum, quàm hæresin asserit Homil.11. in Epist.ad Ephes.* Propterea, *inquit*, dico & protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quàm in hæresin incidere. *Augustinus id pejus idololatria & quovis alio flagitio existimat, lib.2. de Baptismo cap.6. Tom.7. dum ait:*

Ido-

Idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captivitate: schisma hiatu terræ, sepultis autoribus vivis & cæteris cælesti igne consumptis: Quis jam dubitaverit, hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum. *Notare hæc, velim, intempestivos censores, qui cornicum oculos configunt & quæ reprehensionem nullam merentur, non prudentiâ, sed furore castigare aggrediuntur, nec sibi nec Ecclesiæ parcentes.*

Observandum est, quid hæresis, quid schisma sit, ne fugientes Charybdim in Scyllam incidant, & declinantes hæresin schisma faciant. Quem in finem adhuc ipsis affero definitionem & hæresos & schismatis, quam dat insignis auctor Optatus Milevitanus in Numidia Africæ Episcopus, qui suo tempore, seculo scilicet IV. contra Donatistas schismaticos in Africa pugnavit. Is lib. 1. contra Parmenianum Donatistam Tomo 4. Biblioth. sic scribit: Schisma sparso coagulo pacis dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, ut deserta matre Catholica, impij filij, dum forâs exeunt, & se separant (ut vos fecistis) â radice matris Ecclesiæ INVIDIÆ falcibus amputati errando rebelles abscedant. ——— Hæretici verò veritatis exules, sani & verissimi SYMBOLI desertores de sinu Ecclesiæ sanctæ impiis sensibus depravati, contempto, quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, denasci voluerunt. *Symbolum intelli-*

telligit, quod in baptismo in sensu Catholico recitantes renascebantur. Unde & in sequentibus ait: Soli *(hæretici)* sigillum integrum non habentes fontem verum aperire non possunt, *scilicet baptismi. Et in fine lib. 7. ad Parmen. ait:* Numquid poteris approbare mendacium *(hæresin)* Symbolum verum & unicum retinere & defendere? *Ex his colligere promptum est, quousq; se extendat hæresis, ut defensio fidei dilectioni anteponatur; vicißim, quousq; se extendat dilectio, ut quæstionibus extraneis fidem non concernentibus communio cum fratribus præferatur. Nihil proclivius est, quam per imaginationem hæreseos debitâ fratribus charitate spoliari. Nec diabolus quicquam nunc magis agit, quàm ut sub prætextu defendendæ veritatis omnem è cordibus hominum charitatem depellat & pro ea odium, invidiam, æmulationem, iram ad pessundandam Ecclesiam in iis plantet: Sic enim & alterum, ut & doctrinam labefactet & omnis generis hæreses disseminet, facilè obtinere potest. Quantò magis ergo his temporibus refrigescere charitatem deprehendimus, tantò majori virium contentione pro ea conservanda laborandum est.*

Habebat Ecclesia, quod reprehenderet olim in opinionibus Donatistarum, at iis silentio transmißis, negatæ eos potius dilectionis & ruptæ per hoc unitatis Ecclesiæ reos agebat. Nec ipsa, *inquit Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium,* cũ illis vertitur quæstio, sed de sola communione infeliciter litigant & contra unitatem

Christi

Christi rebelles inimicitias perversitate sui erroris exercent. *Hic erat, quod Ecclesia in toto mundo periisset & in sola Africa in parte Donati mansisset, sicut & subjicit:* Sic apparet etiam ejus Ecclesia non in sola Africa (sicut isti impudentissima vanitate delirant) sed toto orbe terrarum diffusa. *In LUCIFERI quoq; Episcopi Calaritani in Sardinia & ab eo denominatorum Luciferianorum dogmatibus quædam reprehendenda occurrebant, ex quibus Augustinus in lib. de Hæresibus meminit, quod statuerint* animam ex transfusione generari, eamq; ex carne & carnis esse substantiam: *At iis præteritis, Ecclesia eos negatæ dilectionis postulabat. Ambrosius sanè Orat. in funere fratris Satyri, C. 24. quæst. 1. cap. 23. de illis sic ait:* Etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, â quibus evacuatur ejus passio corpusq; distrahitur. *Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium sub finem ferè Tom. 2. sic loquitur:* Hoc *(reversis ab hæresi pacem dari)* displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis atq; sanandis, qui veneno perierant Arriano: & cui displicuit, IN TENEBRAS CECIDIT SCHISMATIS, AMISSO LUMINE CHARITATIS. *Et lib. de Agone Christiano cap. 30. Tom. 3.*

 Nec

Nec eos, *inquit*, audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent (*quod faciebant Donatistæ*) præcidere se tamen ab unitate & Luciferiani magis dici, quàm Catholici maluerunt —— Est enim magna virtus pietatis pax & unitas, quia unus est Deus: hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt —— Hoc eis displicuit in Ecclesia Catholica, quod verè Catholicæ sanctitatis est: Nusquam enim tam VIGERE DEBENT VISCERA MISERICORDIÆ, QVAM IN CATHOLICA ECCLESIA, ut tanquam vera mater, nec peccantibus filiis superbè insultet, nec correctis difficilè ingnoscat —— HANC ILLI MATRIS CHARITATEM SUPERBE ACCIPIENTES & impiè reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti gratulati non sunt, CUM LUCIFERO, QUI MANE ORIEBATUR, CADERE MERUERUNT. *Eundem verò cum Donatistis errorem Luciferiani foverunt, quod Ecclesia in orbe periisset & in sua parte sola mansisset. Id quod constat ex libro Hieronymi contra Luciferianos, ubi invehitur in eos, qui dicebant, Christum Ecclesiam in Sardinia, ubi Lucifer fuerat Episcopus, tantùm habere. Et de Helladio Luciferiano statim in principio scribit:* Asserebat universum mundum esse diaboli, &c, ut jam familiare est eis dicere, factum de Ecclesia lupanar. *Hilarius quoque Diaconus Romanus Luciferianus Donatistarum errorem defen-*

defendit, baptizatos ab hæreticis denuo ab Ecclesia esse tingendos, ut in fine ferè libri testatur. Qui error ex priori nascebatur, quod Ecclesiam in toto orbe periisse dicerent: Et hic ex natura schismatis promanabat. Qui enim ab aliis cohærentibus cum Catholica Ecclesia se temerè separant iisq́; communionem suam negant, ad angustas partes Ecclesiam redigunt & consequenter eam per totum orbem diffusam negant.

Ideo schismaticorum proprium est tandem negare articulum Symboli de Catholica Ecclesia, atque adeo schisma vertere in hæresin. Cum dicunt *(baptizantes)* credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam, mentiuntur in interrogatione, cum non habeant Ecclesiam, *ait Cyprianus lib. 1. Epist. 6. Et hæc causa est, cur dicat Hieronymus Comment. in Tit. 3.* Vix esse schisma ullum, quod non aliquam confingat hæresin, ut ab Ecclesia meritò recessisse videatur. *Et Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 7.* inveteratum schisma hæresin *dicit. Evenit ergo quibusdam, ut, dum hæreses profligare nituntur, per imprudentiam atq; importunitatem in schisma incidant, ex schismate porro in hæresin prolabantur, atq; adeo id ipsum, quod evitare instituebant, malè vitando incurrant, dum enim non tenent unitatem, tandem nec tenent veritatem.*

LUCIFERUM nostrum Cal. in S. jam secundùm moneo, ut hæc diligenter secum expendat, pravos affectus sepo-

seponat, Ecclesiæ Christi parcat, & schisma moliri desistat. Non statuunt id boni viri, quod affectus ipsi in animo pingunt, non quærunt adversas Ecclesias & religiones confundere, sed Catholicam Ecclesiam defendunt, quam schismatici negant: Caveat sibi, ne superbiâ elatus Luciferi in judicium incidat Luciferi, non Calaritani solùm, sed & illius Jesai.14.v.12. 1 Tim 3.v.6. Lumen veritatis aliis præferat, si potest, sed ipse quoq; quàm hæreat in tenebris agnoscere non negligat; si trabes è suis ejecerit, & festucas ex aliorum oculis tollere poterit. Si cum antiquo Lucifero ob ordinationem alterius, vel quod sua hoc in loco non processerit, iracundiâ exarsit, nihil tamen ipsi Ecclesia, ut adeo in eam sæviret, fecit, nisi fortè ejus erga errantes lenitas & misericordia, qua exiguis erroribus connivendo transmissis, integra fide & charitate accedentes facilè suscipit, ipsum perinde, ut olim Luciferum malè habeat. Utinam verò, quorum opera imitatur, ex eorum quoque damnis documentum caperet, ne per iram & invidiam amisso lumine charitatis, amitteret & lumen veritatis. Suspicionem magnam nobis movent novæ molitiones, quod tanto virium conatu Catechismum adoriatur & Symbolum Apostolicum de auctoritate sua dejicere non dubitet. Neq; enim idem ipsi amplius est Symbolum in quod nos baptizamur, & in quod olim Apostoli & eorum successores multis seculis baptizarunt; nec idem Catechismus ipsi est, qui tempore Apostolorum fuit, & nobis in usu est: Non continet ipsi Symbolum omnia ad salutem creditu necessaria

necessaria, sed multi alij adhuc cognoscendi sunt articuli fidei in Symbolo non contenti: Symbolum omnium sectarum latibulum est; hæretici eo usi sunt, nec constat, â quo concilio vel saltem Catholico doctore provenerit: Apostoli non determinarunt omnia credenda vel omnes articulos fidei, sed multos Ecclesia sequenti tempore invenit. Et quæ sunt multa alia nova, paradoxa & hactenus in Ecclesia non audita, quæ non ita pridem in odium aliorum profiteri & propugnare cœpit; nec sanas per omnia de Ecclesia Catholica cogitationes habet, signum antiqui Luciferi & in hoc circumferens. Utinam homo videre posset, quid ê re sua esset: In commodum enim ejus optima intentione hæc scribo, quibus si obaudire noluerit, ipse quidem & pertinaciâ & exitu quoq; suo antiquo Lucifero similis erit; at Deus Ecclesiæ suæ tamen prospiciet, quæ humanis non regitur nec destruitur consiliis. Trahat in factionem suam, de quo, scio, vehementer laborat, quoscunq; voluerit, quamvis viros prudentes & cordatos, ut puto, non movebit, veritas propterea non opprimetur, sed ei adstipulabuntur omnes recti corde, Psal. 94. v. 15. Videbunt quid distent æra lupinis, quæ solida probatio sit, quæ pro tali venditetur, & quo loco habendus sit, qui in fratres tantâ animi impotentiâ invehitur & pro suis, quas ipse commentus est & quotidiè comminiscitur, opinionibus pugnat. Non deerunt, credat, qui ad fidem nō pertinentia ab iis, quæ fidei sunt, recto judicio discernant, qui fidem intemeratam servantes in cognitione indies proficere quærant, qui in una,

ad quã pervenerunt, maneant regula, &, si quid prӕterea sibi sciendum sit, id â Deo sibi vinculum charitatis tenentibus pedetentim revelari petant, Phil. 3. v. 15. Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, sed si custodito unitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis, quod Apostulus ait, Et si quid aliter sapitis, hoc quoq; Deus vobis revelabit, *ait Augustinus lib. de Unitate Ecclesiӕ cap. 10. Tom. 7.*

Cur sodes hӕc non attendantur in prӕsentibus quӕstionibus? Cur hoc tempore ex Ecclesia exulet observatio ejusdem Augustini ex lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap, 4. dum ait: Hoc autem facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quӕruntur, & propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, DONEC AD VERUM LIQVIDUM PERVENIATUR, VINCULUM PERMANEAT UNITATIS, ne in parte prӕcisa remaneat insanabile vulnus erroris. *Cap. 5.* Et ideo plerumq; doctoribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur, vel QVOMODO TENEANT UNITATEM, CUM IN REBUS OBSCURIORIBVS DIVERSA SENTIUNT, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt. *Et postea, cum Cypriani, qui Donatistarum sententiam de rebaptizandis hӕreticis jam olim propugnarat, charitatem & modestiam*

destiam

destiam commendasset, addit: Non enim parvum documentum est pacatissimæ animæ in ea unitate martyrium meruisse, unde se diversum sentiens noluit separare. HOMINES ENIM SUMUS, UNDE ALIQVID ALITER SAPERE, QVAM SE RES HABET, HUMANA TENTATIO EST. NIMIS AUTEM AMANDO SENTENTIAM SUAM, VEL INVIDENDO MELIORIBUS USQVE AD PRÆCIDENDÆ COMMUNIONIS ET CONDENDI SCHISMATIS VEL HÆRESIS SACRILEGIUM PERVENIRE DIABOLICA PRÆSUMPTIO EST. In nullo autem aliter sapere, quã res se habet, angelica perfectio est. Quia itaq; homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quàm diu perfectionem angeli non habemus, PRÆSUMPTIONEM DIABOLI NON HABEAMUS. —— Humanum est ergo aliquid aliter, quàm se res habet, sapere, propterea dicit alio loco, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: & si quid aliter sapitis, hoc quoq; vobis Deus revelabit. QVIBUS AUTEM REVELAT, CUM VOLUERIT, sive in hac vita, sive post hanc vitam, NISI AMBULANTIBUS IN VIA PACIS & in nullam præcisionem deviantibus. *Porro de Cypriano: Per martyrij, inquit*, confessionem pervenit ad angelicam lucem, ut si non antea, ibi certè revelatum agnosceret, quod cum ali-

ter ſaperet, SENTENTIAM DIVERSÆ OPINIONIS VINCULO NON PROPOSUIT UNITATIS. *Cur hoc non obtineat amplius, niſi quod homines charitate deſtituti & odio fraterno excœcati Eccleſiam potius deſtructum eant, quàm aliquid de ira & livore ſuo remittant, id animo volventes :* Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur, 1. *Reg.* 3. *v.* 26. *Zelum præ ſe ferunt Eliæ, ſed Eliæ dictum non audiunt* : Non in Spiritu vehementi Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus, ſed in ſibilo tranquillo & tenui, 1. *Reg.* 19. *v.* 11. *Servum Domini decet* manſuetudo, & patientia, & modeſtia in corripiendo, 2. *Tim.* 2. *v.* 25. In hujuſmodi cauſis, *inquit porro Auguſtinus Ep.* 50. *ad Bonifacium*, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid SEVERITATI, ut majoribus malis ſanandis CHARITAS SINCERA SUBVENIAT. *Si id in magni momenti controverſiis obſervandum eſt, quantò magis in his Scholaſticis, quæ nunc in controverſiam veniunt, quæſtionibus locum habet.* Ante omnia corpus Eccleſiæ indiviſum conſervemus & concordiæ poſſeſſionem inviolatam cuſtodiamus: NEC, DUM MUTUA ULCISCIMUR ODIA, RECTÆ FIDEI CAUSAM NOS TUERI SIMULEMUS, nec per cauſam pietatis mali quicquam admittamus : nec ob inhoneſtas capturas â recta doctrina rece-

recedamus, per damna lucrum captantes & veritatem nundinantes: sed ad rectam fidem HONESTAS ACTIONES adjungamus, nam alterum ab altero divulsum non profuerit, *egregiè ait Basilius Seleuciæ in Isauria Episcopus, qui tempore Augustini vixit Orat. 39. in Deiparæ annunciationem in fine.*

Utinam duras cervices permovere non nihil possem, ut mutato proposito rectâ tandē viâ ingrederentur & ea, quæ ad Ecclesiæ salutem faciunt, in medium consulerent. Quod me attinet, dilectionem meam ipsis semper offero, etiamsi illi mihi communionem suam negaverint: Utut enim sic â seipsis me separârint, non tamen ab Ecclesia vera Christi separare unquam poterunt, cui, pro rationi officij inquirens in veritatem, & cognitionis, firma stante & manente fide, profectum desiderans ad solidam fidei defensionem, charitate junctus maneo, illis matrē suam ex defectu charitatis deserentibus. Ubi non possum, quin denuo recolam verba Augustini meritò notanda, ex lib. de Vera religione cap. 6. Tom. 1. Sæpe etiam, *inquit*, sinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neq; ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propo-

positum est, aut sedatis remeare turbinibus: aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum motibus perturbationibusq; cesserunt, sine ulla CONVENTICULORUM segregatione usq; ad mortem defendentes & testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. HOS CORONAT IN OCCULTO PATER, IN OCCULTO VIDENS. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: imo plura sunt, quàm credi potest.

Ponderet quisq;, quid agat & quàm non mihi, sed sibi ipsi noceat, qui mihi dilectionem suam negat, attendat. Quod si & his nihil obtinuero, monuisse me unumquemq; sufficiat, ut comparente futuro Judice, ego quidem coram tribunali ejus intrepidus consistam, & illi excusationem non habeant. Desistite, oro, â molitionibus schismaticis, Viri boni, ulciscimini iracundiam vestram sine scissione Ecclesiæ; effundite sapientiam vestram, sed sine læsione proximi; nolite ita excludere â vestra societate alios, ut ipsosmet exisse vos ex Ecclesia probetis; nolite sævire in propria viscera & vestris vos armis conficere, qui foris sat hostium habetis, quibus cum confligendo vires vestras experiamini; nolite in fratres tanto exardescere odio, ut quidvis ideo, quod ab ipsis dictum sit, improbetis; judicate rectum judicium, & cogitate, quod & vos judicium subituri

turi sitis: Nolite ex Scholasticis intricatis quæstionibus articulos fidei condere, saltem ut fratribus ægrè faciatis; nolite, quod in clara luce positum est, in dubium vocare, ut aliorum in fratres vestros odium accendatis; nolite sanctissimum Apostolorum Symbolum auctoritate spoliare, eò, quod auditis fratres vestros sæpius ad illud provocare & eò simplices Christianos, quorum maxima semper multitudo est, remittere. Auditum non est hactenus, quod tentatis, & nova profecto molimini, dum novitates, quas per affectuum nebulas vindere vos putatis, tanto conatu amputare aggredimini. Si antiquæ, Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ lumina parvi penditis, parcite saltem optimis & plerisq; nostris Theologis, quibuscum sentio, quibusve, si eorum à me dissensum, sive in hoc, sive in aliis quæstionib⁹ ostendere velitis, vim facere, verba truncare, alienum sensum affingere, & uno verbo vos prostituere cogimini. Non enim desunt, qui nugas vestras videant & rectè judicent, etiamsi imperitioribus glaucoma objiciatis: Videbunt viri cordati & detestabuntur facta vestra, ut & coram mundo tandem id, quod nondum videtis, dedecus feratis.

Te verò scire velim, Benevole Lector, quod, si ejusmodi homines, qui solidas rationes & bonas tandem omnes admonitiones susq; deq; habent, porro prosiliant in medium & hoc quoq; Scriptum canino dente admordeant, ego illorum latratus tanti faciam, quanti canum in plateis, quibus uti vir honestus & prudens se nequaquam opposuerit: ita

nec

nec mihi integrum esse existimes, cum talibus hominibus sine mente sonum dantibus serram contentionis reciprocare. Scriptillent, nugentur, calumnientur, me non movebunt, nec viros prudentes & doctos, quibus quidem si placeam, id mihi sufficienti lucro fuerit. Habeo, quod agam, quo juventutis & Ecclesiæ commodum promoveam, non est quod bonas horas in nugis refellendis consumam. Tu interim mecum Deum ora, ut conculcet Satanam sub pedibus nostris, nec committat in pœnam ingrati hujus seculi, ut bonæ actiones in gloriam ipsius directæ impediantur. Ipsi sit laus & gloria, Amen.



In No-

In Nomine Sacrosanctæ Trinitatis.

IN Deum optimum, justissimum & sanctissimum culpam hominum reducere, eumq; vel minima ex parte causam peccati facere, res est inter Christianos nefanda & intolerabilis, â qua vel pessimorum hæreticorum aures abhorruerunt, uti id Florino hæretico, qui tale quid suis dogmatibus inferre videbatur, objicit Irenæus Seculi secundi scriptor in Epistola ad Florinum, apud Eusebium lib. 5. Histor. cap. 18. *Hæc dogmata*, inquit, *Florine, cum fiducia dicam, sanam sententiam non habent; hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui ipsis obtemperãt; hæc dogmata ne hæretici quidem, qui extra Ecclesiam sunt, unquam ausi sunt pronunciare.* Ipsum lumen naturale intellectus hac in re tam clarum est, ut nullus gentilium Philosophorum tale quid defendisse reperiatur, tantum hæretici quidam, inter primos qui Ecclesiam infestabant, quorumq; non satis sani erant sensus & intellectus, dogmata talia proferebant, quibus peccata hominum in Deum referebantur. *Quis ante Simonem Magum Apostolica districtione percussum, à quo vetus ille turpitudinum gurges usq; in novissimum Priscillianum continua & occulta successione manavit, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumq; nostrorum ausus est dicere creatorem Deum?* ait Vincentius Lerinensis in suo Commonitorio adversus prophanas vocum novitates.

Deum minima ex parte causam peccati facere impium est.

Tanto majori ergo industriâ laborandum est, ne unquam Christianis tale qvid surrepat, unde legitimâ saltem consequentiâ inferatur, Deum esse causam peccati, vel quo doctri-

Diligenter cavendum, ne quocũq; modo etiam per abusum vocabulorum Deus causa peccati statuatur.

doctrina de causa peccati depravatis & in alienum sensum detortis vocabulis ita pervertatur & confundatur, ut tandem per imprudentiam & inscitiam quorundam hoc sceleratum dogma in Ecclesiam inferatur; vel etiam contra eos, qui illud inferre moliuntur, Catholica veritas non amplius dextrè defendatur. Sola vocabulorum ignorantia graves sæpe parit errores, nedum malitiosa eorundem detorsio. Igitur uti illi legitima explicatione obviam eundum est; ita huic tantò majori virium nisu obsistendum. *Peccatur* (in disputando) ait Aristoteles, *aut mentiendo aut discedendo à verbis quæ imposita sunt rebus: Nam & ab iis peccatur, qui quod non cadit in aliquem, cadere confirmant; & ab iis, qui res minus usitatis & tritis nominibus appellant, ut qui hominem platanum vocant, nominum impositorum, fines transeunt*, lib. 2. Top. c. 1. *Nam quia fieri non potest, ut res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus utimur tãquam signis: inde quod accidit nominibus, rebus quoq; arbitramur accidere —— Quemadmodum igitur illi, qui non sunt prompti calculos sustinere à scientibus decipiuntur, eodem modo & in orationibus qui nominum virtutem ignorant, perfacilè captionibus hallucinantur & ipsi disputantes & alios audientes*, lib. 1. Sophist. cap. 1. Neve putemus, hæc gentilem tantum dicere Philosophum, audiamus & Augustinum, qui lib. 20. de Civit. Dei cap. 23. *Verborum*, inquit, *licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignit opinionem. Sæpè non propriè loqui discrepantiam dogmatis efficit*, ait Leontius Monachus Byzantinus lib. 1. contra Nestorium & Eutychen. Gregorius Nyssenus scribit de Eunomio Hæretico lib. 1. contra Eunomium in fine Tom. 2. *Non sine urgente ratione ab usitata vocabulorum notione orationem abducens, peregrinitatem vocum sectatur. Probè noverat, si consuetum vocabulorum usum retineret, se nullum ad veræ doctrinæ eversionem aditum reperturum. Si verò à communibus & pas-*

sim approbatis notionibus voces abstraheret, perversitate vocis facilè etiam ipsam doctrinam perverti posse.

Cæterum in doctrina de causa peccati ansam disputandi præbuerunt primitus dicta quædam scripturæ difficilia tum veteris tum novi Testamenti, in quibus Deo peccatum tanquam causæ tribui videtur, utpote cum dicitur indurare, seducere, errare facere, spiritum mendacii dare, jubere convicia facere, & quæ sunt alia. Ut res fiat evidentior pleraque hîc subjicere promptum est. Legimus Exod. 3. v. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Cap. 9. v. 10. *Et induravit Dominus cor Pharaonis, ut non audiret eos.* Psal. 105. v. 24. *Vertit cor eorum* (Ægyptiorum) *in odium sui populi, eosq; facit errare per solitudinem inviam.* 2. Sam. 12. v. 11. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam rem istam in conspectu omnis Israel & in conspectu solis hujus.* 2. Sam. 16. v. 10. de Simei dicit David: *Maledicit sic, quia Dominus jussit eum, ut Davidi malediceret, quis igitur dicet, cur sic fecisti?* 2. Sam. 24. v. 1. *Furor Domini rursus concitatus est adversus Israelem & incitavit Davidem in eis, ut diceret, vade, numera Israëlem & Judam.* 1. Reg. 22. v. 23. *En Dominus dedit Spiritum mendacem in os omnium Prophetarum tuorum, loquutusq; est Dominus super te malum.* Esai. 19. v. 14. de Ægypto dicitur: *Miscuit Deus in medio ejus Spiritum vertiginis.* Esai. 63. v. 17. *Quare errare nos fecisti Domine à viis tuis, indurâsti cor nostrum, ne timeremus te.* Ezech. 14 v. 9. *Propheta cum erraverit & locutus fuerit verbum, ego Dominus seduxi prophetam illum.* Jerem. 30. v. 7. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* Luc. 2. v. 33. dicit Simeon de Christo: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicitur.* Quo ipso respicit ad Prophetiam Esaiæ cap. 8. v. 14. *Is erit sanctua-*

Occasio disputandi in doctrina de causa peccati ex dictis scripturæ difficilioribus.

ctuarium (asylum) *& lapis offendiculi & petra scandali duabus dominibus Israel; in laqueum deinde & tendiculum ei, qui habitat in Jerusalem.* Christus ipse Joh. 9. v. 29. *In judicium,* inquit, *in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cœci fiant.* Rom. 1. v. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immundiciam, ut ignominiâ afficiant corpora sua inter se mutuò.* Vers. 26. *Tradidit eos Deus in cupiditates ignominiosas.* Vers. 28. *Tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quæ non conveniebant.* Rom. 11. v. 8. *Dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant usq; in hodiernum diem.* 2. Thess. 2. v. 11. *Propterea mittet illis Deus efficaces errores, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderũt veritati, sed consenserũt iniquitati.*

Interpretatio dictorum horum secundum Zvinglium.

Hæc & similia dicta Zvinglius & Calvinus, qui alioqui facilimè à simplici literali sensu verborum Domini in sancta Evcharistia discesserunt, secundum literam accipi volunt, quod Deus ineffabili occulta quadam operatione moveat, flectat, inclinet animum hominis ad peccatum. *Zvinglius* quidem lib. de Providentia cap. 5. Tom. 1. fol. 364. fac. 1. sic loquitur: *Numen ipsum autor est ejus, quod nobis est injustitia, illi verò nullatenus est —— Nam ipse sub lege non est.* Et cap. 6. fol. 366. fac. 1. *Idem ergo factum, quod Deo autore & impulsore est, illi honorificũ est, & homini crimen ac nefas. Jure igitur plectuntur sontes, sive hîc à judice, sive isthic à rege regum & Domino dominantium. In legem enim peccaverunt non quasi autores, sed quasi instrumenta, quibus Deus liberius pro sua voluntate uti potest, quàm paterfamilias aquam bibere aut humi effundere. Cumq; movet ad opus aliquod, quod perficienti instrumento fraudi est, sibi tamen non est, ipse enim liberè movet. Neq; instrumento facit injuriam, cum omnia sint magis sua, quàm cujusq; opificis sua instrumenta —— Movet ergo latronem ad occi-*

occidendum, innocentem etiam ac imparatum ad mortem ——— Nec dicat quisquam, innocens igitur est latro, Deo n. impulsore occidit, nam contra legem peccavit. At, inquis, coactus est ad peccandum. Permitto, inquam, coactum esse ——— Breviter impulit Deus ut occideret, sed æquè impellit judicē, ut percussorē justitiæ mactet. Et qui impellit agit sine omni criminis suspicione: Non enim est sub lege. Et in antecedentibus fol. 365. fac. 2. *Unum igitur atq; idem facinus, puta adulterium & homicidium, quantum Dei est autoris, motoris ac impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Ille n. lege nō tenetur, hic autem lege etiam damnatur. Quod enim Deus facit liberè facit alienus ab omni adfectu noxio, igitur & absq; peccato. Ut adulterium David, quod ad autorem Deum pertinet, non magis Deo sit peccatum, quàm cum taurus totum armentum inscendit & implet. Et cum occidit eum etiam, quem per latronem aut corruptum judicem trucidat, non magis peccat, quàm cum lupum lupo, aut elephantū dracone interficit.* Hæc omnia istis scripturæ dictis antea citatis superstruere conatur.

Johannes Calvinus prolixus est in istis scripturæ locis explicandis lib. 1. Institut. cap. 18. Inter cætera s. 1. sic scribit: *Absurdum videtur, jubente ac volente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est. Tergiversando itaq; effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri, ipse verò palam se facere pronuncians, effugium illud repudiat.* Hinc multa testimonia citat ex scripturis, & subjicit: *Qui mediocriter exercitati sunt in scripturis, vident, me ex multis pauca tantum proferre testimonia, ut brevitati consulam, ex quibus tamen satis superq; liquet, nugari eos & ineptire, qui in locum providentiæ Dei nudam permissionem substituūt, acsi in specula sedens expectaret futuros eventus. S. 2. Et certè nisi intus operaretur in mentibus hominum, non rectè dictum esset, auferre labiū* Secundum Calvinum.

à veracibus & à senibus prudentiam, auferre cor principibus terræ, ut errent per devia —— Sed nihil clarius potest desiderari, quàm ubi toties pronunciat, se excæcare hominum mentes ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, indurare corda. Et cum rejecisset permissionem, subjicit: *Adde, quod ansam talibus cavillis præcidit scriptura: Tenebo, inquit Deus, cor illius. Sic & de incolis terræ Canaan dicit Moses, progressos fuisse in pugnam, quia roboràsset Deus eorum corda. Quod idem ab alio propheta repetitur, vertit cor eorum, ut odio haberent populum suum. Similiter apud Jesaiam contra gentem fallacem missurum se Assyrios pronunciat, ac præcepta daturum, ut auferant spolia & diripiant prædam, non quia impios & præfractos homines docere velit ad sponte parendum, sed quia flexurus sit ad exequenda sua judicia, perinde ac si jussa ejus animis insculpta gestarent. Unde apparet, certa destinatione Dei fuisse impulsos ——— Dicitur etiam idem Satan excœcare infidelium mentes, sed unde hoc, nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati.* Similia multa habet in sequentibus & tandem ait §. ult. *Si quos autem magis impediat, quod nunc dicimus, nullum esse Dei cum homine consensum, ubi hic justo ejus impulsu agit, quod sibi non licet: succurrat, quod alibi admonet idem Augustinus: Quis non ad ista judicia contremiscat, ubi agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundum eorum merita.* Lib. 2. instit. cap. 4. §. 2. *Dicitur,* inquit, *Deus modo suo agere, quod Satan ipse (instrumentum cum sit iræ ejus) pro ejus nutu ac imperio huc atq; illuc se inflectit ad exequenda ejus justa judicia. Omitto hîc universalem Dei motionem, unde creaturæ omnes ut sustinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt: De illa speciali actione tantùm loquor,*

quæ in unoquoq; facinore apparet. Et §. 3. *Sæpiſſimè excæcare dicitur Deus & indurare reprobos, eorum corda vertere, inclinare, impellere —— nos ergo duplici ratione reſpondemus id fieri. Siquidem —— rite excæcare, indurare, inclinare dicitur, quibus facultatem videndi, parendi, rectè exequendi adimit. Secunda ratio, quæ multò propius accedit ad verborum proprietatem, quod ad exequenda ſua judicia per miniſtrum iræ ſuæ Satanam & conſilia eorum deſtinat, quò viſum eſt & voluntates excitat & conatus firmat.* Et mox de Sehon rege indurato ait: *Ergo quia perditum Deus volebat, obſtinatio cordis divina fuit ad ruinam præparatio.* Item in Comment. ad cap. 9. Epiſt. ad Roman. *Induradi verbum quum Deo in ſcripturis tribuitur, non ſolam permiſſionem (ut volunt diluti quidam moderatores) ſed divinæ quoq; iræ actionem ſignificat. Nam res omnes externæ, quæ ad excæcationem reproborum faciunt, illius iræ ſunt inſtrumenta. Satan autem ipſe, qui intus efficaciter agit, ita eſt ejus miniſter, ut non niſi ejus imperio agat.*

Calvini veſtigiis inſtitit *Theodorus Beza*, qui in Abſterſione calumniarum Heshuſii in Volumine Tractationum pag. 317. ita ſcribit: *Rectè ergò & juſtè peccatibus etiã inſtrumentis utitur, eaque ad deſtinatum à ſe finem perducit, & ita quidem, ut nihil peccet, neq; in movendo neq; in dirigendo inſtrumento. Actio, enim ab ipſo eſt, defectus verò ab inſtrumento.* Et poſtea cum teſtimonia ſcripturæ ſupra adducta citaſſet, ſubjicit: *Deus ergo is eſt, qui dat reges in ira ſua; is eſt, qui errare facit; is eſt, qui miſcet ſpiritum erroris; is eſt, qui corda indurat & vertit; qui oculos excæcat; qui vino vertiginis inebriat; is eſt à quo Spiritus malus Saulem invadit; is eſt, qui ſui contemptum ulciſcitur, tradens in reprobum ſenſum, & mittens erroris efficaciam, ut credatur mendacio; is eſt,*

Ex mente Bezæ.

est, qui prophetas seducit; is est, qui spiritus etiam malos immittit, addito nocendi præcepto dataq; *adeo ad fallendum* effica-citate —— *Neq; enim Dominus Spiritui illi mendaci scribitur dixisse, permitto tibi, ut Achabum decipias, si potes; sed persuadebis & vinces: vade igitur & ita facito. Hæc verò quum dicimus, præcedente videlicet nobis his formulis Spiritu Sancto, an Deum facimus malorum autorem? Minimè: Neq; enim malum est, sed optimum potius opus Ecclesiam conservare, explorare, castigare, improbos deniq; justis pœnis ulcisci. Hæc autem quoties per Satanam & impios exequitur Dominus, quid aliud, quàm justè facit, etiamsi peccant* instrumenta, *quibus utitur? Itaq; semper accusamus Satanæ consilia & technas omnes, fratrum Josephi invidiam, Pharaonis contumaciam, Absalomi execrãdos incestus, Semei improbitatem, adversariorum Davidis perfidiam, decem tribuum* ἀποστασίαν, *Chaldæorum avaritiam, libidinem crudelitatem: Sed Dei bonitatem & judicia ubiq; agnoscimus & veneramur.* Et in libro de æterna prædestinatione contra Castellionem fol. 373. *Sic autem agit per illa* instrumenta, *ut non tantum sinat illa agere, nec tantum, moderetur eventum, sed etiam* excitet, impellat, moveat, regat, *atq; adeo, quod omnium est maximum, etiam* creet, *ut per illa agat, quod constituit: quæ omnia rectè facit Deus & sine ulla injustitia.* Idem inculcat in Resp. 2. ad Acta Colloq. Mompelg. pag. 179. dum scribit hunc in modum: *Itaq; fatendum est omnino, quum ne passerculi quidem cadant sine voluntate conditoris, & ipse sortium exitus, teste Salomone, sit à Deo, voluntates illas etiam malas, non tantum* universaliter, *sed expreßè quoq; certo & fixo divinitus momento ad hoc vel illud agendum* agi. *Hoc autem non aliter posse fieri, quàm Dei voluntate & decreto, & quidem* potenti & efficaci *multis antea rationibus & auctoritatibus probavimus, & ex istis expreßis testimoniis, sic loquente Spiritu*

Sancto

Sancto liquet. Hinc subjicit illa testimonia scripturæ supra à nobis citata.

Adhuc adducemus *Hieronymum Zanchium*, qui Tom. 1. Miscellan. de Excœcatione impiorum quæst. 4. fol. 206. ita loquitur: *Quarta itaq; veriorq; sententia est, quandam Dei actionem requiri, quâ agat in corde impii: quia externa objecta ad illum indurandum non sufficiunt. Patet hoc primò in excœcatione & induratione Pharaonis, Exod. 7. & 9.* Et postea: *Sed notandum, hanc Dei actionem, quâ dicimus, eum excœcare & indurare reprobos, bifariam considerari posse: Primò immediatè, quatenus scilicet Deus immediatè sine interno alterius ministerio excœcare & indurare prædicatur.* —— *Dubitandũ igitur non est, Deum quosdam (id est reprobos & verbi Dei contemptores) excœcare, indurare, & in desideria cordis & prava flagitia tradere, idq; non tantùm permittendo, (quæ permissio semper est voluntaria) nec tantum gratiam subtrahendo: nec tantum externa offendicula, in quæ impingant, reprobis objiciendo: sed etiam interna quadam particulari, sed ineffabili actione, eaq; vel immediatè per se, vel mediatè per misterium Satanæ eos in cæcitatem, obdurationem & prava desideria impellendo, sed non cogendo. Neq; ob id tamen Deum esse vel dici posse peccati autorem vel causam: quia semper justus est & nihil agit injustè neq; injustitiam cuipiam indit instillatve. At hîc multum obstrepit prudentia carnis, multaq; habet, quæ objiciat. Si hæc ita se habent (inquit humana prudentia) quomodo ergo Deus jubet, ideoq; vult, ut homo vitet peccata, non mœchetur, non furetur?* —— *Summa responsionis ad hæc omnia est: In iis Dei judiciis, quæ sunt abyssus multa non esse audiendam prudentiam carnis nostræ; sed simpliciter sequendum Dei verbum, quod apertè tradit, Deum omnibus præcipere, ut credant, ut vitent peccata, ut resipiscant, atq; hoc esse officium nostrum. Eundem tamen etiam Deum*

Secundum Zanchium.

quosdam excœcare, ne credant, indurare, ne resipiscant, tradere in desideria cordis, ut faciant, quæ non debent: atq; hoc esse judicium Dei justißimum: & licet nobis occultum, adorandum tamen.

Malè Zvinglius & Calvin9 discedũt à litera in verbis Evcharistiæ, & literam urgent in dictis illis de Dei providentia.

Mirari equidem subit, quomodo Zvinglius, Calvinus & qui eum sequuntur tam præfractè urgeant, ut in verbis Evcharistiæ à litera discedamus eam ob causam, quod absurdũ putent, corpus humanum propriè manducari & verè ac substantialiter in tot locis invisibiliter adesse, ubi Sancta Evcharistia administratur, mysterium nullum sibi ad animum revocantes, cum ibi nihil contra bonos mores vel contra honestatem ex litera sequatur: & interim in iis scripturæ locis, ubi de providentia Dei circa mala agitur, tam arctè literam teneant & teneri velint, ut cum omnes rimæ elabendi ipsis obstructæ sunt, & quàm multa contra bonos mores & honestatem inde sequantur, ostensum est, promptè ad mysterium confugiant, dicentes, Deo constare hanc æquitatem. Cum multò magis etiam per lumen naturale intellectus justitia Dei ipsis vindicanda esset, ne pietati in Deum & bonis moribus quid detraheretur, & Christiana religio prostitueretur. Si enim ob incommodum aliquod consequens à litera discedendum est, ob illud utiq; discedendum maximè fuerit, quod maximum est. Utrum autem majus est, quod dimensiones corporis humani cum præsentiâ in tot locis conciliare nequeamus, & propterea ad occultam rationem confugiamus? an quod Deum amplius ab injustitia liberare nequeamus, & occultam aliquam justitiam comminiscamur? Sed id in præsenti non persequimur: Tantum dicimus, talem actionem, impulsum, motum, inclinationem non inferri ex dictis illis, cum omnia optimè excusari & explicari possint sine iis.

Genuina & Catholica dictorum

Primò notum est, quod cum quis permittit, quod impedire poterat, dicatur fecisse id, quod inde sequitur, veluti qui dimit-

dimittit domum nec defectus instaurat, facit ut decidat; qui dimittit fenestram, cum claudere eam posset, dicitur alium ei assidentem madidum fecisse, perluente pluviâ; qui hortum vel agrum non colit, dicitur eum desertum fecisse; qui permittit puerum cadere, cum ipsum tenere posset, dicitur ipsum fecisse cadere; qui permittit aliquem maledicere, cum id impedire posset, dicitur ipsum fecisse maledicere; cum quis permittit aliquem contra leges publicas delinquere, cum impedire potuisset, dicitur ipsum peccare fecisse, idq; in mille aliis manifestatum est. Tantùm id observandum, quod quidam obligati sint ad non permittendum id, quod permittunt, veluti qui permittit puerum cadere, cum ipsius fidei commissus esset. Proinde non solum ob permissionem id fecisse dicuntur, quod permittunt, sed & propter neglectum officium, quia omiserunt, quod omittere non debebant. Interdum autem sola permissio attenditur, cum is, qui impedire malum poterat, non est obligatus ad illud impediendum, veluti si magistratus, qui duellum legibus prohibuit, videat aliquos in foro pugnantes, nec statim proruat & dimicantibus manum teneat, ad quod obligatus non est. Ita Deus induravit cor Pharaonis, quia permisit ipsum seduci à Satana & propriis desideriis; ita permisit Satanæ, ut excitaret Absalomum adversus Davidem; ita permisit Simei, ut Davidi malediceret, & Satanæ, ut Davidem incitaret ad numerandum populum, itemq; ut spiritus mendax esset in ore omnium prophetarum; ita porro permisit, ut quidam suâ malitiâ in Christum veluti in lapidem impingerent & caderent.

supra citatorum interpretatio: Loquutiones istæ nituntur 1. Permissione.

Deinde qui alii media ad malum aliquod evitandum subtrahit, dicitur aliquem fecisse malum illud perpetrare vel in illud incidere, veluti qui alii vitæ media subtrahit, facit illum mori; qui alicui manum præcidit, facit illum cessare

2. Impedimentorum remotione.

ab opere manuum diurno, quo victum quærebat; qui aliquem vestimentis privat, facit ut nudus incedat vel ex frigore morbum contrahat; qui columnam domus subruit, ut Simson, facit ut domus decidat; qui valvas dimittit, facit ut conclave illuminetur; qui januam aperit, facit ut ventus domum perflet vel ut conclave frigescat; qui fenestram aperit, facit ei assidentem pluviâ conspergi, vel illam à vento concuti. Et in universum qui impedimentum tollit, dicitur fecisse id, quod inde sequitur. Sed & hîc attendendum est, quod is, qui media subtrahit & impedimentum aufert, interdum obligatus sit ad media non subtrahenda vel impedimentum non auferendum, interdum non obligatus sit; cum obligatus est, dicitur tale quid fecisse non solùm quia impedimentum abstulit, sed & quia fecit, quod facere non debebat, atq; sic vituperatur: cum autem non obligatus est, simpliciter quia media abstulit vel quia impedimenta removit, dicitur fecisse quod sequitur, v. g. cùm creditor, quem ipsum tandem media vivendi deficiunt, à debitore exigit solutionem, qui solvendo non est, nisi propria necessaria ipsi det vitæ media: hunc creditor dicitur denudâsse vel miserum fecisse, cum tamen id non fecerit. Sic magistratus facinoroso curat manum amputari, ex quo ille cessans ab opere manuum, destituitur vitæ mediis, hoc magistratus fecisse dicitur, cum non fecerit. Et hac ratione dicitur Deus interdum indurâsse Pharaonem, quia gratiam conversionis ob præcedentia mala opera ipsi subtraxerat. Sic facit errare, seducit, & dat in sensum reprobum, & ponit filium in ruinã.

3. Conservatione & beneficiis.

Tertiò, is, qui conservat & sustentat, sive etiam beneficiis cumulat, quem justè è medio tollere poterat, dicitur fecisse eum peccare, & multò plura mala perpetrâsse, quàm aliàs perpetrâsset, ut si magistratus facinorosis capitis damnandis vel damnatis tempus vitam emendandi & in vera

poeni-

pœnitentia moriendi concedat, illi verò deteriores fiant & conviciando atq; blasphemando peccata accumulent; si parentes filios immorigeros beneficiis in bonum flectere allaborent, qui tamen subinde pejores fiant. Et sic dicitur iterum Deus induràsse cor Pharaonis,& in mentem roprobam dare, & posuisse Christum in ruinam & signum contradictionis.

Quartò qui metas & terminos alicui actioni præfigit vel ipsi impedimentum objicit, dicitur esse causa ejus, quod sequitur, ut qui percutientis manum repellit, dicitur fecisse, ut proximè assidens percuteretur; qui extensa manu pilam retorquet, dicitur fecisse, ut in alterius faciem insilierit; qui erumpenti amni aggerem ponit in uno loco, dicitur fecisse, ut alium agrum inundaret; qui alligat equum, ut ad pabulum appropinquare nequeat, dicitur fecisse, ut esurierit; qui aliquid in viam projicit, vel agri limitem aut domus lapidem angularem ponit, dicitur facere, ut per viam ambulans vel domum præteriens cadat. Et hîc denuo accidit, ut interdum quis obligatus sit ad non impediendum vel nullos limites figendos, ut si quis ex petulantia prætereunti pedem objiciat, meritò vituperatur. Interdum autem talis obligatio locum non habet, sed bonum potius & laudabile est, ut aliquid impediatur & certis limitibus coërceatur. Et sic Deus dissipat consilia impiorum & impedit eorum conatus, ex quo illi tumultuari & maximè accumulare scelera incipiunt; sic continuit Saulem ne Davidem interficeret, ex quo ille veluti furiis percitus multos sacerdotes Domini jugulari curavit. Sic cohibuit Herodem, cum Christum infantem ad necem quæreret, ne eum cõprehẽderet, ex quo ille non unũ, sed mille alios è medio sustulit. Sic prohibuit Simei, ne Davidem cum aliis ipsi mortem intentantibus occideret, ex quo ille maledicam in ipsum linguam magis exacuit. Sic posuit

4. Limitum præscriptione & impedimentorum objectione.

suit Christum lapidem offensionis & signum contradictionis: Misit enim eum ad peccata populi Israelitici redarguenda & tollenda, ex quo illi majora ipsum etiam Christum in crucem agendo commiserunt.

5. Manifestatione. Quintò & hoc addo, quòd qui dicitur aliquid manifestâsse, dicatur ipsum fecisse, ut qui furtum alicujus manifestat, dicitur fecisse ipsum furem, qui scelus, sceleratum, nempe quia fecit, ut ab omnibus pro tali haberetur. Et hîc iterum si quis obligatus sit ad non manifestandum, culpâ non vacat; si autem non sit obligatus, quin potius è contrario obligatus ad facti manifestationem, nullam reprehẽsionem incurrit. Et sic Deus iterum dicitur induràsse cor Pharaonis, quia quàm durum esset declaravit; & dare Spiritum mendacem, & seducere, quia quàm homines à spiritu mendaci seducantur & quantis in erroribus versentur, palam facit.

Hæc sunt fundamenta harum loquutionum, quæ in communi sermone in omnibus linguis occurrunt, scilicet quia fundamenta earum omnibus hominibus sunt obvia: Constat enim, quod permissio, remotio prohibentis vel impedimenti, conservatio, impeditio, manifestatio omnibus objiciantur hominibus & cõceptus quosdam in animis omniũ forment, tum veros, tum apparentes ob similitudinem quandam, ut magistratus, qui facinoroso manum amputari curat, omnino apparet causa subsequentis indigentiæ vel etiam mortis, cum tamen non sit causa. Quia igitur hac ratione dicta illa salvare possumus, ut nihil incommodi contineãt, quid opus est ad occultam Dei actionẽ, impulsum, motũ, inclinationẽ confugere? præsertim cum ipsa scriptura ad hæc fundamẽta nos manu ducat: Nam quod dicitur Rom. 1. v. 24. *Deus tradidit gentes in reprobum sensum*, id Act. 14. v. 16. sic explicatur: *Permisit eas ambulare in viis suis*: Quod dicitur 2. Thess. 2. v. 11. *Mittet illis Deus efficaciam erroris*, id sic effertur

Cur hæ loquutiones in omnibus linguis occurrant.

A scriptura ipsa ad istam interpretationem manu ducimur.

tur 2. Paral. 15. v. 2. *Si dereliqueritis Dominum, derelinquet vos.* Quod legitur Matth. 6. v. 13. *Ne inducas nos in tentationem*, his declaratur 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non sinet vos tentari supra vires.* Quod dicitur 1. Sam. 16. v. 14. *Spiritus malus à Domino turbabat Saulem*, id in antecedentibus declaratur per hæc: *Spiritus Domini discessit à Saul.* Quod dicitur 2. Sam. 24. v. 1. *Furor Domini incitavit Davidem, ut numeraret populum*, id sic redditur 1. Paral. 21. v. 1. *Consurrexit Satan contra Israël & incitavit David ad numerandum populum*, Deo scilicet id non impediente.

Nec ulterius progressa est antiqua Ecclesia, cum illa scripturæ loca explicavit, quàm ut confugeret ad permissionem, remotionem impedimenti, sustentationem, impeditionem, manifestationem, cum contrà hæretici istius temporis eò illa detorquerent, ut Deum causam peccati facere manifestè convincerentur. *Irenæus* Lugdunensis Seculi II. scriptor lib. 4. adversus hæreses cap. 48. disputans contra Marcionem & alios, qui faciebant Deum malorum auctorem, sic ait: *Sed & induravit (inquiunt illi) Deus cor Pharaonis & famulorum ejus. Qui ergo hæc imputant, non intelligunt, in Evangelio, ubi discipulis dicentibus Domino, Quare in parabolis loqueris eis? respondit Dominus: Quoniam vobis est datum cognoscere mysterium regni cœlorum, illis autem in parabolis loquor, ut videntes non videant —— Unus enim & idem Deus, his quidem, qui non credunt, sed nullificant eum, infert cœcitatem: Quemadmodum sol, qui est creatura ejus his, qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus: his autem, qui credunt ei & sequuntur eum, pleniorem & majorem illuminationem mentis præstat —— Si igitur & nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt: quid mirum, si & tum nunquam*

Non aliter explicavit hæc dicta Scripturæ antiqua Ecclesia jam inde ab initio.

quam crediturum Pharaonem cum his, qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati? Seculo III. *Origenes* Cæsariensis in Palæstina presbyter lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 1. aliquot similitudinibus declarans indurationē Pharaonis, inter cætera sic scribit: *Tropum verò vel figuram sermonis ejus, qui scriptus est de induratione, etiam ex communi consvetudine exponere puto, quod non videatur absurdum. Frequenter enim benigniores quiq; demum ad eos servos, qui per multam patientiam & mansvetudinem dominorum insolentiores improbioresq; fiunt, dicere solent: Ego te talem feci, ego te perdidi, mea patientia te pessimum fecit, ego tibi causa hujus duræ & pessimæ insolentiæ existo, qui te non statim per singulas culpas punio pro merito delictorum. Necesse est enim, nos tropū vel figuram sermonis advertere & ita demum virtutem Dei intelligere, nec inferre calumnias verbo, cujus interiorem sensum diligentius exploremus.* Lib. 1. in cap. 1 Roman. *Præcedentibus*, inquit, *causis culparum jure & meritò deseruntur â Deo hi, qui veritatem, quam Deo revelante cognoscunt, in iniquitate detentant, & per hoc, quod deseruntur, traduntur in desideriis cordis sui.* Item Homil. 16. in cap. 2. Lucæ contra Marcionitas his disputat verbis: *Si propterea cruentus & in tantum sævus & crudelis est conditor, quia dicit, Ego interficiam & vivificabo, percutiam & sanabo, manifestissimum est & Jesum ipsius esse filium: Eadem siquidem de eo scripta sunt: Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. Non in resurrectionem tantum, sed & in ruinam, si malum est interficere, malum sit & in ruinam venire. Quid respondebunt? utrumne recedent â cultu ejus, an quærent aliquam interpretationem & ad Tropologias confugient, ut, quod in ruinam venerit, benignitatem magis, quâm auctoritatem sonet? Et quomodo justum erit, quando quid in Evangelio tale reperitur, ad allegorias & novas intelligentias confugere: quando verò in veteri testamento,*

meto, statim accusare & nullam explanationem, quamvis probabilis sit, recipere? Sic loquitur quia Marcionitæ Deum veteris testamenti malum & crudelem dicebant, novi autem testamenti bonũ & beneficũ, & hinc porro, ut thesin suam defenderent, dicta omnia veteris testamenti, quæ Deo aliquid mali tribuere videbantur, secundum literam accipiebant, dicta autem novi testamenti, quæ easdem vel similes planè loquutiones habebant, per tropum, figuram & allegoriam explicabant. Id quòd ipsis antiqui Ecclesiæ doctores & meritò objiciebant. Seculo IV. *Cyrillus Hierosolymitanus* contra Marcionem & Manichæos disputans Catechesi 6. illuminatorum hæc habet verba: *Ille verò os habens, tanquam sepulchrum apertum à blasphemia, à creatore primum incipit dicens: quod veteris testamenti Deus malorum sit inventor, dicens de se ipso: Ego ignis consumens —— Numquid autem solus veteris testamenti Deus obcæcavit cogitationes infidelium? Jesus autem ipse nonne dixit: Propterea in parabolis loquor, ut videntes non videant? Non quod odisset illos, volebat, ne viderent: sed propter indignitatem, quod oculos suos ipsi obstruxissent. Ubi enim spontanea pravitas, ibi & impedimentum gratiæ. Habenti enim dabitur, & qui non habet, & hoc, quod videtur habere, auferetur ab eo —— obcæcat & sol lippos & ex oculis laborantes, malè affectos propter luminis vim. Non quod sol habeat vim excæcandi: sed quod corrupta videntium natura videre per se non possit. Sic & infideles ægrotantes in corde non possunt videre divinitatis radios.* Ambrosius vel potius *Hilarius* Diaconus Romanus Comment. in Cap. 1. Roman. declarans verba, Tradidit illos in desideria cordis: *Tradere*, inquit, *est permittere, non incitare aut immittere, ut ea, quæ in desideriis conceperunt, adjuti à diabolo explerent in opere.* *Hieronymus* Comment. in Esai. 63. Tom. 4. super verba, Quare errare nos fecisti, Domine? *Non*, inquit, *quo Deus erroris causa sit & duritiæ, sed quo*

illius sapientia nostram expectantis salutem, dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiaq; videatur. Et Epist. 15. de his, quæ Deo in scripturis sanctis attribuuntur in fine Tom. 9. *Indurare dicitur Deus quorundam corda malorum, sicut de Pharaone rege scriptum est, non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere, sed exigentibus eorum culpis, cum duritia cordis quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriunt, non aufertur: quasi illos ipse induret, quos justo judicio induratos sivit.* Quæ verba etiam habentur apud Augustinum in lib. de Essentia Divinitatis Tom. 4. Hic & lib. 2. quæst. super Exodum quæst. 36. verba, Ego gravavi cor ejus & servorum ejus, ita exponit: *Sic intelligendum est, ac si diceret, Ego enim patiens fui super eum & servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos. Quia cum patientiâ Dei obstinatior fiat malus animus, ideo pro eo, quod est patiens fui, dicitur, gravavi cor ejus.* Et quæst. 37. ait: *Dixit, indurâsse Dominum cor Pharaonis beneficiô utiq; suô & patientiâ suâ, quâ illa fiebat obstinatio, dum ei parceretur, sicut omnia mala corda hominum, patientiâ Dei malè utendo, durescunt.* Et quæst. 19. *Ego indurabo, tanquam diceret, quàm durum sit, demonstrabo.* Et in quæst. super Josuam quæst. 18. *Item dictum est, per Dominum confortari cor eorum, hoc est obdurari cor eorum, sicut de Pharaone, quod divino altoq; judicio justè fieri, minimè dubitandum est, cum deserit Deus & possidet inimicus.* Porro *Joh. Chrysostomus* Constantinopolitanus Patriarcha, Homil. 3. in cap. 1. Roman. *Tradidit,* inquit, *hoc loco significat permisit. Quemadmodum si quis exercitus præfectus prælio ingravescente retrocedens abscesserit, hostibus milites tradidit, haudquaquam ipsos impellens, verùm suo ipsius auxilio nudans: sic & Deus eos dimisit, qui admittere ejus præcepta noluerunt.* Et Homil. 26. in 2. Corinth. 12. sic scribit: *Hoc itaq; ait: Datus est mihi stimulus, qui me colaphizet* (per quem ille adver-

sarios Pauli intelligit) *Non quod Deus hujusmodi homines armaret (absit enim hoc) sed quod eos minimè coerceret ac suppliciis afficeret, verùm ad quoddam tempus ipsos grassari permitteret.* Seculo V. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 5. Tom. 5. in Esaiam cap. 63. considerans verba: Quare seduxisti nos Domine? sic scribit: *Cum emollire potuisset universorum Deus, permisit illis, ut mentem præfractam haberent & contumacem: Hac de causa, quia tenera & mollia non reddidit, ipse indurare dicitur. Quibus autē hoc accidit, his omnino necesse est aliud obvenire, ut inquam Dei metu careant.* *Theodoretus* quæst. 31. in lib. 2. Regum expendens maledictionem Simei: *Sciendum est autem*, inquit, *quod non divinæ sit operationis neq; Amnonis nefarius concubitus, neq; Absalonis fraterna cædes, nec furor in patrem: Sed domus nudata divinâ providentiâ erat instar scaphæ carentis gubernatore, & vehementes fluctus insanorum dæmonum excipiebat.* Quæst. 45. in lib. 2. Regum: *Non ergo verbo jussit, ut numeraret Israelem: sed Davidi permisit, ut hac uteretur cogitatione: Nam cum misericors sit Dominus & Deus impedimentum affert cogitationibus, quæ non fuerint profuturæ —— Quod autem non ex operatione, sed concessione illi fuerit hæc cogitatio, manifestius docuit liber Paralipomenon —— Quod si ipse jussit, cur tandem succenset? Itaq; his verbis permissionem divinam declaravit —— Est ergo perspicuum, quod permissionem vocârit mandatum, quoniam cum posset prohibere, non prohibuit per hoc volens castigare iniquos.* Et Commentar. in cap. 1. Rom. ait: *Tradidit posuit pro permisit. Dicit autem, quod cum vidisset, eos nec velle per opificium ad effectorem deduci, neq; vi rationis inditâ meliora in rebus agendis eligere nec deteriora fugere, illos suâ providentiâ privavit & tanquam cymbam absq; saburra ferri permisit.* Et in cap. 9. *Non fuit Deus autor improbitatis Pharaonis: sed ipse patientiâ de more usus est: ille autem patientiam existimavit imbecillitatem & ejus causâ suam auxit contumaciam.*

Et in 2. Theſſ. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris poſuit pro concedet, ut error appareat, ita ut oſtendantur amatores improbitatis. Iſidorus Peluſiota* lib.4.Epiſt.59.explicans verba Rom.1. Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ſic ait: *Non dixit, quoniam vel poſtquam traditi ſunt, repleti ſunt; ſed neq; hoc, traditi ſunt replendi, vel ut replerentur; ſed repletos tradidit: hoc eſt dimiſit, reliquit nudatos ſuo auxiliô & præſidiô: non aliter, quàm imperator aliquis milites, qui mandatis ipſius parere detrectant, ſed quantum in ipſis eſt, victos dimittit ac relinquit, ſuâ ſapientiâ conſilioq; deſtitutos. Eos ergo, qui à ſe ipſis repleti erant omni improbitate, non immeritò deſerendo tradidit, non impellens in reprobum ſenſum, ſed in eum cupidè ruentes & cum impetu, relinquens.* Seculo VI. *Gregorius Magnus* EpiſcopusRomanus lib.29. Moral.in Jobum cap.24. ſic ſcribit: *Semetipſum tn. Dominus hoc gelu gignere perhibet, non quo pravorum mentes ipſe ad culpam format, ſed quo à culpa non liberat, ſicut ſcriptum eſt: Ego obdurabo cor Pharaonis: Quod quia miſericorditer emollire noluit, profectò diſtrictè ſe obdurare nunciavit.* Et lib.31.cap.11. *Quod dixit, privavit, non injuſtè ſapientiam abſtulit, ſed juſtè non dedit. Unde & Pharaonis cor Dominus obduraſſe deſcribitur, non quod ipſe duritiam contulit, ſed quod exigentibus ejus meritis, nullâ illud deſuper infuſi timoris ſenſibilitate mollivit.*

Sic Catholica Eccleſia hæc ſcripturæ dicta jam inde ab initio explicavit, ut nihil, niſi permisſionem, auxilii ſubtractionem, conſervationem ſeu patientiam, & manifeſtationem ex illis deduxerit, & hac ratione Marcionitarũ & Manichæorum hæreſin, qui jam olim ex iſtis dictis, Deum propriè operari malum & producere peccatum concludebant, retuderunt. Quanquam non diffiteor, quod Auguſtinns diſputans contra Pelagianos, dum clarè neceſſitatem gratiæ & auxilii divini in omnibus operibus ſpiritualibus oſtendere conabatur, inconvenientes quaſdam loquutiones protulerit & alios

Auguſtinus primus inter doctores Eccleſiæ diſceſſit à communi dictorũ ſupra citatorum interpretatione.

alios in errorem induxerit, ut lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 20. Tom. 7. considerans verba Davidis de Simei maledicente, sic scribit: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem propriô vitiô suô malam in hoc peccatum judiciô suô justô & occultô INCLINAVIT.* Et cap. 21. *Quis non ista judicia divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorũ.* Et mox: *AGIT enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit.* Et infra: *His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia cõmemorare nimis longum est, satis, quantũ existimo, manifestatur, OPERARI Deum in cordibus hominum ad INCLINANDAS eorum voluntates quocunq; voluerit sive ad bonum pro sua misericordia, sivè* ad MALA *pro meritis eorum.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Curavit Apostolus dicere, quanta pœna sit, à Deo tradi passionibus ignominiæ sive deserendo, sive alio quocunq; vel explicabili vel* inexplicabili modo, *quo fecit hæc summè bonus & ineffabiliter justus.* Et in sequentibus cum aliquot loca scripturæ citasset, subdit: *Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquidò appareat, OCCULTO JUDICIO DEI FIERI PERVERSITATEM CORDIS, ut non audiatur, quod verum dicitur, & inde peccetur & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.* Et postea sic alloquitur Julianum: *Quid est a., quod dicis, cum desideriis suis traditi dicũtur, relicti per divinã patientiã intelligẽdi sunt, non per potentiam IN PECCATA COMPULSI, quasi non simul posuit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & poten-*

potentiam, ubi ait, sic autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ: Et in sequentibus: *Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, ut fiant, quæ non conveniunt, sed ipse convenienter tradit, & fiunt eadem peccata & peccatorum supplicia præteritorum & suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab in Pseudoprophetarum mendacium, sicut tradidit Roboam in falsum consilium, FACIT hæc miris & inefficabilibus modis, qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus OPERARI.*

Augustinus metuit, ne in scriptis suis erraret, ideq; super dictorũ locorum interpretatione gravem animadversionẽ incurrit.

Sic loqui cœpit Augustinus in certamine cum Pelagianis, cum antea modum loquendi Ecclesiæ usitatum diligenter observâsset, specimen, quàm proclive sit etiam piis & doctis viris errore quodam circumveniri, mundo exhibens. Id quod & ipse metuit, ne per multa scripta sua justam aliquando reprehensionem incurreret, in præfat. Retractationum Tom. I. Et sanè à Massiliensibus & aliis Catholicis doctoribus præsertim in Gallia hæc ejus doctrina admodum fuit exagitata, adeo ut Prospero & Hilario discipulis ejus plus satis negotii fuerit, præceptorem defendentibus. Gallorum Objectio I. hæc erat, apud Prosperum in Respons. ad Capitula Gallorum: *Quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines ad peccata compulsi cogantur in mortem.* Et Object. XI. *Quod per patientiam Deus homines ad peccata compellat.* Obj. XIV. *Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant.* Ad quæ ita respondet Prosper, ut ea vel mitiget vel castiget & emendet. Id quod & sequentium temporum doctores fecerunt, qui Sectæ Prædestinatianorum, ex doctrina Augustini enatæ se opposuerunt, non solum V. sed & IX. Seculo, cum eandẽ doctrinam Godeschalcus, Monachus Rhemensis in Gallia renovaret.

Hi

Hi enim omnes dicta illa propriè accipi voluerunt de occulta quadam & ineffabili actione, inclinatione, motu, impulsu, flexione: Uti videre est apud Hincmarum Episcopum Rhemensem Godeschalci adversarium, lib. de Prædestinatione cap. 10. Tom. 1. operum, ubi & inter cætera sic ait: *Facit vas in contumeliam non operando, sed justissimè deserendo, sicut plena sunt orthodoxorum volumina tali expositione. Scilicet quia cor Pharaonis justo judicio induravit, quod per gratiam non emollivit: in reprobum sensum dedit ex retributione justitiæ, quia est peccatum & pœna peccati. In aliud sæpe peccatum peccatores tradidit, quia gratiâ non liberavit: justitiâ excæcavit, quia gratiâ non inluminavit: vas in contumeliam fecit, quia justè in massa perditionis atq; damnationis reliquit, & non per gratiam prædestinationis vas honorabile fecit —— Ex retributione justitiæ in tentationem inducit, quoniam justè induci permittit. Et in Jobo, privavit Deus sapientiâ, cui justè non dedit —— Non est ergo consequens, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit, ut quos non levaverit, alliserit: cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo, aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.* Sic ergo multi ex dictis istis scripturæ non rectè intellectis ansam labendi & errores in Ecclesia disseminandi sumpserunt: quod iterum, quàm cautè & circumspectè in iis explicandis versandum sit, nobis documento esse potest.

Ab Augustini tempore disputatum fuit in Ecclesia super dictorũ supra allegatorum interpretatione.

Dixerit non nemo, cur Deus istâ loquendi formâ usus fuit, quâ productionem mali vel peccati sibi tribuere videtur? Cur non potius perspicuè ac simpliciter veram causam malitiæ nominat, se excluso? Ratio ejus rei hæc est, primò quia Deus cum hominibus loquitur consueto ac usitato more: receptæ autem maximè sunt istæ loquutiones in communi sermone: Pater indurat filium seu deteriorem eum facit beneficiis; pater immorigerum filium tradidit desideriis pro-

Cur Deus istis loquẽdi modis usus fuerit.

propriis, ejus scilicet curam non amplius habendo; architectus ponit offendiculum prætereuntibus, dum scilicet ponit lapidem angularem; creditor debitorem nudum fecit incedere, quia quod suum erat repetiit; sol excæcat debiles oculos; multæ leges in repub. augent peccata. Deinde quia voluit Deus providentiam suam etiam circa mala ostendere, quod non fiant se inscio vel prorsus otioso, sed quod severa sua circa ea judicia exerceat, gratiam obstinatis peccatoribus subtrahendo eosq; desideriis propriis permittendo, ut suô vitiô in interitum ruant. Unde ejusmodi loquutiones terribiles sunt Dei comminationes, quibus præfractis peccatoribus justa Dei vindicta ob oculos ponitur iis ipsis in rebus, quibus desideria cordis sui explent & felices se prædicant. Tertiò indicare voluit necessitatem divini auxilii, sine quo homo necessariò erroribus, peccatis & omnis generis malis implicatur. Unde & verba hæc pios excitant adeò ardentius divinum auxilium implorandum. Quartò ostendere voluit judicium perversum impiorum, qui Deo adscribere solent, cujus ipsimet causa sunt, sicut inquiunt Roman. 9. v. 19 *Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Sic interdum scriptura ex mente aliorum loquitur, cum homines ex apparentia quadam temerè de Deo & rebus divinis judicant. Igitur si intentionem Dei spectemus, convenientissimæ & aptissimæ hæ sunt locutiones, quibus gratissimâ brevitate, & quid à malitia hominum & diaboli fiat, & quæ Deus in immorigeros judicia exerceat, & quàm homo sine Dei gratia nihil boni præstare possit, & quæ ex apparentibus rebus externis homines vana judicia ferant, ostenditur.

Constat ergo, quomodo dicta illa planè & simpliciter explicari queant, ut & eorum veritas constet, & Deus non statuatur operari peccatum, vel agere, inclinare, compellere, cogere ad peccandum: Et in his communibus vulgo notis

voca-

vocabulis persistat aliquis, si quando ea explicare cogatur; imo necessarium est, ut in iis acquiescat Homiliticus, qui ad populum verba facit è suggestu, vel ad eos sermonem instituit, qui bonas artes non didicerunt. *Oportet institutos esse*, ad quos ex scientiis loquimur, lib. 2. Metaph. cap. 3. ne verba aliter accipiant, quàm dicuntur, & sic in errores incidant. Sciendum est, quod Theologia & consequenter ratio scripturam interpretandi duplex sit secundum duplicem finem & considerandi modum, quem sibi proponit Theologus: Vel enim populum instruit in Ecclesia, ut credat & in fide confirmetur; vel auditores informat in scholis, ut aliquando munus docendi suscipiant & alios similiter in fide erudiant. Illa simplicem textus declarationem & ad fidem moresq; applicationem pro captu rudis populi requirit, & dicitur à Scholasticis doctoribus *Positiva*, quia scilicet simpliciter ponit ea, quæ pertinent ad fidem & mores pro captu populi in Ecclesia. Hæc accuratiorem in omnibus tractationem postulat, & quid consequens & repugnans sit fidei & unicuiq; doctrinæ Christianæ attendit, ad quod & magno scientiarum omnium apparatu indiget. Dicitur *Scholastica*, quia nemini obtingit, nisi qui magno studio & acri ingenio & constanti labore eam in scholis didicerit, adeoq; quia limatior & accuratior est: Nam, & quod eruditionem aliquam præ se ferebat, Scholasticum olim dicebatur, & viri eruditi Scholastici nuncupabantur, sicut de Serapione Episcopo Hieronymus scribit in lib. de Scriptor. Eccles. *eum ob ingenii elegantiam cognomen Scholastici meruisse*. Utraq; Theologia vel scripturam interpretandi ratio Ecclesiæ necessaria est & jam inde ab initio in usu: Semper enim Episcopi Ecclesiis seu oratoriis scholas habuerunt adjunctas, in quibus perficerentur futuri doctores Christianorum. Positiva illa, popularis & Homilitica scripturæ tractatio Rhetorum more artem,

Differentia Theologi Homilitici & Scholastici.

quam habet, celat, quia rudis populus quæ ad illam pertinent, non intelligit, quippe cui sufficit fidem & propositum bene vivendi ex dictis concipere, licet qua arte dicatur ignoret: At altera Scholastica scripturam explicandi ratio terminis artium palam utitur, quia propositiones multas habet scientiis Philosophicis domesticas eoque pertinentibus terminis & vocabulis signatas, ut omnia illis, qui scientias callent, propriè, perspicuè & distinctè proponantur, & contradicentes atque suorum errorum latibulum in scientiis quærentes solidè refutentur. Sic v. g. nominibus, quæ in communi sermone etiam vulgus usurpat, pro concione utimur: at Nominis, Verbi, Participii, Interjectionis, Præpositionis tantùm in Scholis fit mentio, ubi sunt auditores, qui talia intelligunt. Cœlum, stellas, Solem, Lunam nominamus è suggestu, & confusè ad captum vulgi & ipsa corpora cœlestia & eorum motum describimus: Sed de Apogeo, Perigeo, Homocentrico, Excentrico, Epicyclo & aliis talibus disserimus in Scholis. Pariter de Deo, de peccato, de causa loquimur ad populum promiscuum in Ecclesia per Theologiam positivam, quia ista vocabula omnes intelligunt & res ipsas quoad communes confusos conceptus: sed in Scholis vocabulis essentiæ, existentiæ, subsistentiæ, relationum; item causæ per se & per accidens; Physicæ, moralis; necessariæ contingentis utimur, ut qui scientias didicerunt, non confusâ populi notitiâ contenti sint, sed distinctam & exactam consequantur, non ad credendum, sed ad fidem docendam.

Theologus Homiliticus non utitur in dictis his explicandis terminis artium.

Igitur ut Theologus Homiliticus meritò abstinet à terminis artium & scientiarum in tractatibus seu sermonibus suis in Ecclesia, sic nec in præsenti materia, cum dicta scripturæ supra citata interpretatur, in eum convenit terminis causæ per se & per accidens, & aliis similibus uti. Simpliciter loquatur ad captũ vulgi, & ea adhibeat vocabula, quæ omnes intel-

intelligunt, nec eas ſubtilitates attingat, quæ non niſi per terminos artium explicari poſſunt, modum loquendi patrum imitetur quem in ſuis Homiliis nobis præmonſtrârunt: At verò Theologus Scholaſticus, ut in aliis materiis terminis artium utitur, ita & terminum cauſæ per ſe & per accidens in dictorum horum explicatione & defenſione uſurpare neceſsitate quadam compellitur. Etenim ad eos loquitur, qui ſcientias didicerunt & modis loquendi in ſcientiis uſitatis asſveti ſunt. Deinde quia diſtincta notitia, qualis in Theologo requiritur, ſine diſtinctione eorũ, quæ confusè à vulgo dicuntur, non habetur: Ejusmodi autem diſtinctio ex inductione & longisſima experientia in ſcientiis offertur, cum aptisſimis eam ſignantibus vocabulis. Porro adverſarii, quibus cum Scholaſtico Theologo diſputandum eſt, ejusmodi vocabulis utuntur, imò in iis latibulum ſuorum errorum quærunt. Ideo, ut Theologus ſuum officium faciat, ejusmodi terminis quandoque utatur neceſſe eſt. Denique quis Theologum Scholaſticum prohibeat, quò minus, non ſolùm oſtenſivè concludat adverſus contradicentes, ſed & per deductionem ad incommodum? Incommodum autem maximum eſt, ſi quis oſtendat, quod ex iſta inconvenienti non nullorum interpretatione, ante allata ſequatur, Deum eſſe cauſam propriè dictam peccati, veluti ſi ita colligat; Qui cogit, impellit, movet, inclinat aliquem ad peccandum, eſt cauſa peccati. Deus ex mente adverſariorum cogit, impellit, movet, inclinat homines ad peccandũ. Ergo eſt cauſa peccati. Rurſus: Qui interna ineffabili actione operatur in cordibus hominum peccatum, eſt cauſa peccati. Deus interna ineffabili actione operatur in cordibus hominum peccatum. Ergo eſt cauſa peccati. Quod ſi autem ita ad abſurdum deducatur antagoniſta, reſpondebit & diſtinguet vocabula & limitabit propoſitiones, ut crimẽ illud, quod

Scholaſticus neceſſitate quadam cõpellitur ad terminos cauſæ per ſe & per accidens uſurpandos.

Argumentum deducens ad incommodum.

Reſponſio adverſæ partis per diſtinctionem vocabulorum.

quod faciat Deum causam peccati, à se amoliatur. Dicet, Deum agere in corde hominis, idque movere, impellere, flectere in peccatum non directa quadam actione producendo malitiam, sed tantum removendo aliquid, objiciendo bonum & simili modo indirectè & peraccidens, unde sequatur, quod tantùm sit causa per accidens peccati, quæ non sit vera causa, sed ob similitudinem tantùm sic dicatur. Et sanè huc confugere adversarios interdum, patet ex Petro Martyre, qui in quæstione de causa peccati Classe I. Loc. comm. c. 14. §. 7. sic scribit: *Sed dixi non esse per se & propriè causam peccati. Adjeci hæc, quoniam si minus propriè loqui velimus, poterit dici aliquo modo aut initium aut causa peccati; non propria quidem, sed ea causa, quæ removens prohibens à Philosophis appellatur &c.* Id porro declarat §. 12. dum ait: *Quomodo peccatum regere dicitur Deus? quoad tempus, modum, speciem, materiam, ut videlicet modo potius in hunc, modo in alterum feratur. Pravitates nostræ in nobis habitant: Sed Deus non patitur, ut quovis tempore grassentur, nec quàm diu pravi vellent: frenat peccata, interrumpit aliquando. Deinde efficit, ut pravitas nostra magis in hanc, quàm in alteram partem vergat.* §. 13. *Est item quiddam aliud in peccatis cogitandum, cum erumpunt in actum. Deus ipse aliqua suggerit, quæ naturâ suâ bona sunt, attamen quia in pravos incidunt, arripiuntur in malam partem & occasiones fiunt peccandi: ita, ut peccata, quæ prius latitabant, erumpant. Istæ tamen suggestiones interiores vel exteriores causæ peccati propriè dici non possunt, cum eæ intus sint in hominibus, tamen occasiones dici possunt,* id est causa per accidens. Classe 3. cap. 1. §. 14. porro ait: *Certè non potest Deus, si rectè ac propriè loqui velimus, causa peccatorum pronunciari, quem tamen à peccatorum gubernatione & regimine haudquaquam possumus prorsus excludere, causa quippe illarum actionum est,*

est, quæ nobis peccata sunt, quamvis ut sunt à Deo, sint mera justitia —— *Deus est, qui gratiam suam hominibus subtrahit, quâ subtractâ necesse est, ut illi labantur. Cumq́; illius agitatione omnes vivamus & moriamur: opera certè omnia, quæ fecimus, necesse est, ut quoquo modo ejus impulsu fiant. Quanquam nihil opus est, ut ab illo nobis infundatur nova malitia* —— *Deus præterea & quidem justè inclinat hominum corda non tantum ad bona, sed etiam, ut Augustinus ait, ad mala.* Et Zanchius loco supra citato de Excœcatione impiorum quæst. 4. fol. 206. sic ait: *Melius igitur sentiunt, qui dicunt, Deum quosdam excœcare & indurare externa quadam sua actione, sed indirectè, quædã illorum oculis & auribus objiciendo, per quæ illi deberent illuminari, emolliri, à peccatis & desideriis malis retrahi, sed suâ ipsorum culpâ & vitiô per illa sibi à Deo oblata magis excœcantur, indurantur, impingunt.* Et fol. 207. *Sed neq́; hoc sufficit meo judicio: Requiritur enim adhuc interna actio Dei in corde impii, quia omnium corda sunt in manu ejus & ipse ea flectit, quocunq́; vult, ait scriptura.* Et fol. 208. *Sed notandum, hanc Dei actionem, quâ dicimus eum excæcare & indurare reprobos, bifariam considerari posse: primò immediatè, quatenus scilicet Deus immediatè sine externo alterius ministerio, excœcare & indurare prædicatur in scripturis, ut cum dicunt, Deus induravit cor Pharaonis: immittit enim in illorum corda cogitationes per se bonas, sicut oculis bona objicit objecta: sed quibus illi abutentes magis ac magis obdurantur, ut paulo ante dixi de Pharaone. Secundo mediatè, quatenus scilicet Deus per ministerium Satanæ, sui carnificis excæcare & indurare dicitur* —— *Sæpenumero enim Deus volens impium aliquem punire tradit illum in manus Satanæ carnificis divinæ justitiæ, ut ipse eum excæcet, induret, in prava desideria tradat, in passiones ignominiæ.* Addam adhuc verba Francisci Gomari, qui in Analysi in Epist. ad Roman. cap. 9. part. 2. operum fol. 57. hæc verba inter cætera scripta reliquit: *Quod adver-*

adversus primum indurationis modum objicitur: Si Deus illa aufert, sine quibus durities & contumacia tolli non potest, est ergo causa efficiens illius: negatur consequentia, quia collatio donorum causa quidem est, quâ durities insita retunditur & ad tempus emollitur: ablatio verò eorum causa non est, sed tantũ adjunctum antecedens, *ad quod certò duritiei incrementum consequitur ex insita natura & morum humanorum depravatione, quæ* propriè *loquendo indurationis causa est. Alioquin quemadmodum adjunctum antecedens* impropriè *per abusionem vocis metaphoricam ac similitudine quadam* causa *sine qua non vulgo appellatur, (quod instar causæ effectum antecedat, & eo antecedente posito effectum consequatur) quamvis* propriè causa non sit: *quia effectum non vi illius antecedẽtis consequitur, sed tantùm vi alterius, quod causa illius est: ita ablatio donorum* propriè causa *indurationis dici non potest. Quemadmodum enim ignis ferrum sui caloris præsentiâ ac penetratione calefacit, eoq; caloris illius & mollitiei ferri causa est: ac contrà remoto igne ferrum rursus frigescit atq; induratur, non efficaciâ ignis nec illius remotionis vi; sed ex insita terrea & ante compacta natura sicca: Similiter indurationis humanæ causa est non Deus formator, nec desertor peccatoris, sed homo desertor Dei & deformator sui per lapsum Adami & intolerandum donorum Dei abusum.* Et postea: *Verum contra secundum & tertium* (indurationis modum) *insurgitur hoc modo: Quicunq; hominibus varias occasiones, licet bonas, objicit consultè ad peccatum & lapsum, ille est peccati autor. Atqui Deus ex nostra thesi id agit. Ergo est autor peccati. Verum negatur propositio, quia universaliter vera non est. Nam occasiones ad peccatũ objici possunt, quæ occasiones sunt vel ad peccatum per se vel per accidens, per se seu vi sua, cum effectum & finis illarum est peccatum, quà peccatum: id quod ad Diabolum & impios, qui peccati autores, pertinet, sed Deo non convenit. Per accidens verò,*

verò, cum nec effectum earum est peccatum, nec scopus est effectio peccati, sed permissio & patefactio peccati ac justa punitio. Deus enim peccatis hominum, quæ permittit ac regit, peccata punit præcedentia: atq; ita peccata sunt justæ pœnæ ratione hominis efficientis & à normâ rectitudinis mandati divini declinantis.

Quis non videt, quod Theologus, si ad argumentum nostrum respondentibus & distinctione causæ per se & per accidens se tuentibus obviam ire, atq; adeo si officio suo satisfacere velit, genuinas istorum vocabulorum significationes inquirere, distinguere & explicare teneatur? Adversarius enim, uti vidimus, solvit argumentum per limitationẽ: Qui cogit, impellit, movet, inclinat aliquem per se ad peccandum, est causa peccati per se: Sic negat Minorem, quod ipse statuat, Deum cogere, impellere, movere, inclinare ad peccatum per se: Hoc sibi & suis non venisse in mentem dicet, cum doceant, quod tantum moveat, impellat, inclinet, cogat indirectè & per accidens. Si autem ita intelligatur: Qui cogit, impellit, movet, inclinat per accidens aliquem ad peccandum, ille est causa per accidens, se concedere totum argumentum, ait. At causa per accidens non est causa, & proinde sic Deus non fit causa peccati. Quid hîc faciendum est? Vel obmutescere cogitur Theologus & nihil reponere adeoque victas manus dare, vel malum usum vocabulorum causæ per se & per accidens ostendere. Scientias igitur Philosophicas consulat oportet, quæ rectam acceptionem istarum vocum nobis suppeditant, ut noverit, quid sibi concedendum, quid negandum sit.

Respondendum est ad malũ usum termiorum causæ per se & per accidens, vel cedẽdum contradicenti.

Jam si genuinam acceptionem vocabulorum causæ per se & per accidens requiramus, omnium optimè fecerimus, si ipsum Aristotelem consulamus, qui ex inductione & experientia, ut aliarum, sic & harum vocum significationes egregiè distinxit & constituit, quemq; sequuntur omnes Græci, Arabes

Genuinus usus vocabulorum causæ per se & per accidẽs omnium optimè ostenditur ex Aristotele.

Arabes & Latini interpretes. Sciendum autem est, quod Philosophus causam in generali notione non definiat, quia est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων: Toto enim lib. 5. Metaphysicorum ea, quæ dicuntur multipliciter distinguit, quem librum lib. 7. Metaph. cap. 1. vocat περὶ τοῦ πολλαχῶς. Et inter hæc vocabula distinguit & causam. Imò lib. 2. Phys. cap. 3. disertè ait: *Dicuntur causæ πολλαχῶς.* Lib. 3. Phys. t. 4. recensens categorias, dicit, *nihil iis accipi posse commune, quod nihil commune habeant:* Ergo non datur supra decem summa genera genus aliquod vel conceptus communis: causa autem inter illa vocabula est, quæ transcendunt prædicamenta. Pariter de bono dicit lib. 1. Eth. cap. 1. *Boni non esse eandem in omnibus rationem nec communem quandam ideam.* Et lib. 3. Polit. cap. 1. scribit, *quod in quibus est primum & secundum & aliud consequens, aut omnino nihil sit commune aut vix aliquid.* Item lib. 5. Poster. cap. 5. ait, quod *in genere, in quo est primum quid, non posit accipi aliquid superius.* Et lib. 2. de anima t. 30. dicit, quod *ridiculum sit quærere talium rationem communem, cum nullam habeant.* Id, quod & subinde inculcant omnes Græci interpretes. Auctor lib. 1 Eudemior. cap. 8. *In quibus,* inquit, *prius & posterius est, eis communem quandam ideam nequeas constituere: Sic enim fuerit aliquid primo prius: Prius enim commune & separabile est, eò quod ablato communi necesse sit & primum tolli; ut si duplum multiplicium primum est, non licet multiplex communiter prædicatum separari, quippe quod duplo prius est, si quidem ideam communem esse contẽdas.* Porphyrius Institut. cap. 2. *Id quod est,* inquit, *non est commune genus omnium, nec omnia, quæ sunt, ut placet Aristoteli, ad unum primum genus caputq́; referuntur, sed ponenda sunt, ut ipse in categoriis docet, decem prima genera, quasi decem initia & capita rerum.* Ammonius Hermias in lib. de Interpret. Sect. de orat. *Quomodo,* ait, *in quibus est prius & posterius, id, quod de iis communiter dicitur,*

Causa in generali notione non potest definiri.

esse genus poterit? Idem Ammonius & Simplicius in Procategoriis referunt hæc vocabula ad Homonyma, de quibus & sic scribit Ammonius lib. de Interpret. sub finem de propositione: *Vocibus Homonymis conveniunt eæ docendi rationes, quæ à subjectis significatis ducuntur, propterea, quod eæ nullam naturam communem, quam definitiones indicant, significare consueverint.* Uti non omnium demonstratio, ita non omnium definitio est, quod & disertè dicit Aristoteles lib. 8. Metaphys. cap. 6. *Manifestum est*, inquit, *quòd dicere volumus per inductionem in singularib9, & non oportet omnium definitionem quærere, sed etiam quod analogum seu proportionale est conspicere*: Quomodo & ait, *materiā proportione cognosci*, lib. 1. Phys. cap. 7. t. 69. Quod propterea noto, quia multi mirantur vel etiam negligentiæ Aristotelem accusant, quod causam in genere non definierit, & proinde ex recentiorum libellis defectum supplere conātur, sequuti cæcos duces, quibus cum in foveam cadunt. Causæ vocabulum non definiendum, sed statim distinguendum est.

Inepti doctores omnium definitiones quærunt.

Primum autem omnium exactè distinxit Aristoteles vocabulum causæ lib. 2. Physicorum. Et cap. 5. quidem inter cætera sic scribit: *Sicut ens aliud est per se, aliud per accidens; ita etiam causa esse potest, ut ædium per se causa est, quod est ædificandi facultate præditum; per accidens autem album & Musicum. Quæ igitur est causa per se, definita est, quæ verò per accidens, indefinita: quoniam infinita possunt uni accidere.* Et cap. 3. *Præterea dicuntur causæ tanquam accidens & horum genera, ut statuæ aliter causa est Polycletus, aliter Statuarius, quoniam accidit statuario, ut sit Polycletus. Sed & quæ accidens sustinent, appellantur causæ, veluti si homo sit causa statuæ aut omnino animal. Accidentium quoq; alia sunt aliis remotiora & propinquiora, veluti si albus & Musicus dicatur esse causa statuæ —— Similiter autem dicetur etiam in iis, quorum eæ causæ, quas exposuimus,*

Distinctio vocabuli causæ ex lib. 2 Phys. cap. 5.

fuimus, sunt causæ (id est in effectis) *ut in ipsis causis expositis, exempli gratiâ, est causa hujus statuæ, vel statuæ, vel omnino imaginis; item est causa hujus æris, vel æris, vel omnino materiæ. Eadem est accidentium ratio.* Hæc ita repetit. lib. 5. Metaphys. cap. 2. Ex quibus manifestum est, quod ad denominationem causæ peraccidens nihil aliud requiratur, quàm ut alteri aliquid accidat, ut Statuarius, quà talis, causa per se est statuæ, non ob accidens vel per accidens aliquod; Musicus autem & albus per accidens, quia Musica & albedo accidit statuario vel cum statuaria arte conjungitur in eodem subjecto accidentaliter: cumq; infinita uni accidere possint, causæ etiam per accidens infinitæ sunt; & prout accidentia sunt remotiora vel propinquiora ei, quod est causa per se, ita & causa peraccidens vel remotior, vel propinquior dicitur: Nam nec remotissimum accidens hîc excluditur, quò minus, si accidat alicui causæ, causa peraccidens dicatur. Constat & hoc, quod non solùm accidentia causarum hîc attendantur, sed & effectuum: Sicut enim quod accidit causæ, causa dicitur peraccidens: sic & quod accidit effectui, effectus dicitur peraccidens; & ejusmodi accidens iterum vel est remotius vel propinquius ipsi effectui per se. Cumq; effectus & causa relata sint, quæ se mutuò ponunt & tollunt, & causa peraccidens dicitur respectu accidentis, quod effectui per se, accidit: Posito enim, quod detur effectus peraccidens, sequitur &, quod detur causa respectu istius effectus sic denominata. Ut adeo causa peraccidens duplex sit, alia ratione causæ, alia ratione effectus; ratione causæ, cum causæ per se aliquid accidit, cui tribuatur effectus, ut si Musicus dicatur causa domus, quia Musicus accidit architecto, qui est causa per se domus: ratione effectus, cum effectui aliquid accidit, quod tribuatur causæ, ut si statuarius dicatur causa æruginis in statua, quia ærugo accidit statuæ, cujus statuarius est causa per se.

Ad denominationem causæ peraccidens nihil aliud requiritur, quàm ut alteri aliquid accidat.

Nec

Nec aliter interpretes vel commentatores Aristotelis hæc verba explicant, sive Græcos, sive Arabes, sive Latinos consulamus. Themistius Euphrates, inter commentatores Græcos non postremus, sub Juliano & Joviniano qui claruit, in Lib. 2. Phys. ita scribit: *Fiunt autem quorundam causæ per accidens, cum alia quædam ipsis obveniunt, nec horum gratia fiunt. Quemadmodum enim entium quædam per se sunt, quædam per accidens; per se quidem substantia, per accidens autem, quæ ipsi accidunt: sic & causarum quædam per se sunt, quædam per accidens; per se quidem causa domus architectus, per accidens autem albus vel Musicus; & causa quidem per se definita est, causa autem per accidens indefinita: Infinita enim architecto accidere possunt.* Et in antecedentibus: *Iterum causa dicitur vel per se vel per accidens; causa per se enim sanitatis Medicus est, sed quia ipsi accidit ægroto esse, & ægrotum dicimus causam sanitatis, & quæ continent id, quod dicitur causa per accidens, & ipsa causæ variis modis dicuntur, veluti homo sanitatis causa est & animal. Sunt & accidentium alia aliis remotiora & propinquiora, veluti albus & Musicus causa dicitur sanitatis, quatenus Medico accidit albo vel Musico esse —— Hoc autem non solum in causa efficiente, sed & in aliis ita fieri inveneris, veluti in materia, hoc æs est causa statuæ, & simpliciter æs & corpus. —— Causæ autem conformiter & æqualiter dicuntur & effecta: Vel enim proximè effectum damus vel genus ejus, veluti, Polycletus fecit statuam vel imaginem, similiter & in accidentibus.*

Explicatio verborum Aristotelis ex commentatorib9 Græcis, ut ex Themistio.

Simplicius itidem Græcus, Ammonii Hermiæ discipulus in comment. ad 2. lib. Phys. Aristotelis hæc habet verba: *Quemadmodum ens, inquit* (Aristoteles) *aliud est per se, aliud per accidens, dicit autem ens per se substantiam, per accidens ea, quæ substantiæ accidunt: sic & causa alia est per se, alia per accidens —— Ut effectus alius est per se, alius per accidens, sic & causa. Nam & categoriæ, quæ de substantia prædicantur, acci-*

Ex Simplicio.

dentia quidem sunt, tanquam quæ semper insunt substantiæ, sed non semper per accidens insunt. Et in antecedentibus: *Easdem differentias quoq; assignat in causis sic dictis per accidens, docens primum, esse quasdam causas per accidens: Nam statuæ per se quidem causa est statuarius, per accidens autem Polycletus, quia accidit statuario Polycleto esse, ut adeo quæ accidunt causis per se, per accidens causæ sint, & genera, quæ accidenti per se insunt, quatenus causæ per accidens insunt, & ipsa causæ per accidens fiunt, veluti Polycletus causa per accidens statuæ est, Polycleto autem per se inest homo & animal. Igitur & homo causa per accidens statuæ est, similiter & animal. Demonstrans igitur hac ratione esse quasdam causas per accidens, dicit eas dividi in propinquius & remotius, sicut & causas per se demonstraverat antea dividi. Nam causa per accidens statuæ est Polycletus, & albus, & Musicus, sed propinquior causa est Polycletus, remotior albus & Musicus, eò quod hæc Polycleto accidunt.* Et mox: *Consequenter quod dictum est, & dicetur in iis, quorum causæ sunt causæ, hoc est, in effectis: Horum n. causæ sunt causæ. Et in iis ergo easdem differentias esse dicit, quæ in causis sunt: Nam & eorũ quædam propinqua effecta sunt, quædã remota, & quædã quidẽ per se, quædam a. per accidens —— Similiter & dicit de iis, quæ accidunt effectis: Quæ n. accidunt effectis, & ipsa per accidens effecta sunt. Similiter & in iis quædã propinqua sunt effecta, quædam remota; propinqua quidem effecta per accidens sunt, quæ propinquius effectis per se accidunt, id est, singularibus, remotiora autẽ illorũ species & genera.*

Ex Philopono. Johannes Grammaticus Philoponus in Commentar. ad 2. Phys. idem habet. Inter cætera sic ait: *Si enim, inquit,* (Aristoteles) *quædam entia per accidens sunt entia, manifestum est, quod & illorum causæ, per accidens sint causæ: Per se enim quis in forum abit, per accidens autem amico peregrè venienti obviam procedit. Si ergo sunt entia per accidens, manifestum est, quod & causæ per accidens illorum sint, quandoquidem & entium per se di-*

dicuntur esse causæ peraccidens: Nam domus causa per se est architectus, peraccidens autem calvus. Et in antecedentibus: *Priusquam hoc demonstret, differentiam ostendit ejus, quod dicitur per se & peraccidens, veluti statua aliter Polycletus, aliter statuarius causa dicitur: Statuarius enim causa per se est statuæ, Polycletus autem peraccidens: Accidit enim statuario Polycleto esse. Manifestum autem est, quod inde sic dicitur statuario accidere Polycletus, quemadmodum in categoriis hero accidit homo, & quæ continent accidens. Et cætera de effectis eodem modo subjungit.* Constat, quod interpretes Græci Aristotelem non aliter intellexerint, quàm quod accidens causæ sit causa peraccidens, & accidens effecti sit effectus peraccidens, nec quicquam ulterius in communi acceptione vocis ad causam peraccidẽs requiratur, utcunq; multæ sint particulares causarum peraccidens rationes, & una causæ per se propinquior sit, quàm altera.

Ex Arabibus adducemus Avenroem, Professorem Cordubensem in Hispania Seculo XIII. à Christo nato, cum adhuc Mauri & Arabes ea loca tenerent. Is in Comment. ad lib. 2. Physic. cap. 2. sic scribit: *Quemadmodum ens quoddam est per se, & est substantia, & quoddam est accidens ei, & est accidens, similiter est de causa, scilicet quoniam quædam causa dicitur causa per se, ut ædificator domus; & quædam peraccidens, ut ædificator domus, cui accidit, quod fuit Musicus: Dicitur enim, quod Musicus est causa domus peraccidens, quia invenitur in causa, quæ est per se —— Causa, quæ est peraccidens, ut Musica & Medicina non operatur in domum omnino, neq; agit in illam, sed dicitur causa per accidens, quia accidit causæ agenti.* Et porro: *Et istæ causæ dicuntur secundum accidens, & genera istarum collocantur in hoc modo v. g. cum dicitur, quod Polycletus fecit statuam, & quod artifex statuarum facit statuam; hoc enim est per se; illud autem per accidẽs: Accidit enim artificii statuarum, quod* Ex commentatoribus Arabicis.

 fuit

fuit Polycletus, quoniam non fecit statuam, secundum quod est Polycletus, sed secundum hoc, quod habet de arte statuarum — Et illa, quæ continent causas, & sunt genera causarum, sunt causæ per accidens v. g. quemadmodum homo est causa statuæ per accidens & universaliter animal: homo autem est causa statuæ per accidens, quia accidit artifici, qui est causa per se, quod fuit homo aut animal. Et cum narravit, quod in illo, quod est per accidens, invenitur propinquum & remotum, dedit exemplum & dixit v. g. dicere, quod albus & Musicus sunt causa statuæ: albus enim est remotior quàm Musicus, licet uterq; sit causa per accidens, quia album est communius homine: ergo est remotius, quàm Musicum. Et postea: *Et sicut hoc dicitur in causis, similiter dicitur in causatis, scilicet, quod quædam propinqua sunt & quædam remota; & quædam per se, & quædam per accidens, & hoc intendebat, cum dixit, Et secundum quod narravimus, dicitur etiam &c. Et sicut ista inveniuntur in causis, inveniuntur in eis, quorum sunt illæ causæ, scilicet in causatis — Quoniã faciens statuam istius hominis, & faciens statuam, dicitur faciens statuam hominis, & dicitur facere statuam universaliter. Statua igitur hujus hominis est causatum propinquum, statua verò simpliciter est causatum remotum. Et similiter cum dicitur, quod hoc est causa cupri, aut causa materiæ: Cuprum enim est causatum propinquum, materia autem est causatum remotum — Et similiter de accidentibus, quoniam in causatis accidentibus invenitur propinquum & remotum.*

Ex commentatoribus Latinis, ut Thoma de Aquino

Ex Latinis præstantissimum commentatorum Thomam de Aquino audiemus, itidem Seculi XIII. scriptorem, qui in lib. 2. Physicorum Aristotelis, lect. 8. hæc annotat verba: *Sicut entium quoddam est per se, quoddam per accidens, ita & causarum, sicut per se domus causa est ars ædificatoria, per accidens verò album vel Musicum. Sed considerandum est, quod causa per accidens dicitur dupliciter: Uno modo ex parte causæ, altero*

altero ex parte effectus. Ex parte quidem causæ, quando illud, quod dicitur causa per accidens, conjungitur causæ per se, sicut si album vel Musicum dicatur causa domus, quia accidentaliter conjungitur ædificatori. Ex parte autem effectus, quod accipitur aliquid, quod accidentaliter conjungitur effectui, ut si dicamus, quod ædificator est causa discordiæ, quia ex domo facta accidit discordia. Hoc modo dicitur fortuna esse causa peraccidens ex eo, quod effectui aliquid conjungitur peraccidens, utpote si fossuræ sepulchri adjungitur peraccidens inventio thesauri. —— *Ponit a. differentiam inter causam per se & causam peraccidens, quia causa per se est finita & determinata; causa autem peraccidens est infinita & indeterminata, eò quod infinita uni possunt accidere.* Et in antecedētibus lect. 6. *Causa per accidēs dicitur omne illud, quod cōjungitur causæ per se, quod non est de ratione ejus: hoc a. contingit esse vel propinquius rationi causæ, vel remotius ab ea, & secundum hoc causæ peraccidēs erunt vel propinquiores vel remotiores. Sicut si statuā facienti accidat esse albū & musicū, musicū propinquius est, quia est in eodem subjecto & secundum idem, scilicet secundum animā, in qua est Musica & ars statuæ factiva: album a. inest secundum corpus.* Et postea: *Sicut distinguuntur causæ modis prædictis, similiter distinguuntur ea, quorum sunt causæ: Est enim aliquid causarum posterius & magis proprium, & aliquid, quod est prius & magis commune, sicut si dicatur, quod aliquid est causa hujus statuæ, vel statuæ in communi & adhuc communius, si dicatur causa imaginis. Et similiter, si dicatur aliquid causa motiva hujus æris vel æris in universali, vel materiæ. Et ita etiam potest dici in effectis peraccidens, & quod aliquando sit communius, & aliquid minus commune. Et dicitur effectus per accidens, quod conjungitur effectui per se & est præter rationem ejus: sicut per se effectus coci est cibus delectabilis, peraccidens autem cibus sanativus.*

Cum his consentit Johannes Duns Scotus Seculi XIV. scriptor, qui aliàs in multis se Thomæ opposuit, sed in hoc Ex Scoto.

idem per omnia cum ipſo ſenſit, rei evidentiâ victus. In comment. ad lib. 2. Phyſ. quæſt. 9. t. 50. ſic ait: *Quarta diviſio, quod ſicut eſt quoddam ens per ſe & quoddam peraccidens, ut patuit prius, ita quædam eſt cauſa per ſe, & quædam peraccidens, & differunt ab invicem, quia cauſæ per ſe alicujus effectus ſunt finitæ, ſed cauſæ peraccidens ſunt infinitæ, id eſt, indeterminatæ: quia infinita uni accidunt, id eſt indeterminata ſunt, quæ accidunt uni.* Et poſtea in Annotationibus: *Nota, quod cauſa per ſe eſt certa & determinata, determinatum habens effectum, ſed cauſa peraccidens eſt indeterminata, quæ dupliciter dicitur indeterminata. Primò quia una cauſa non habet unum, ſed plures & indeterminatos effectus. Secundò quia unus effectus peraccidens non unam, ſed multas cauſas indeterminatas poteſt habere: nam cauſa peraccidens ædificii eſt Muſicus & Grammaticus &c. Rurſus cauſa peraccidens adhuc eſt duplex, prior, quæ conjungitur cum cauſa per ſe, ut Muſicum reſpectu ædificii: quia Muſica conjuncta eſt cum arte ædificandi in ædificatore. Secundo modo cauſa peraccidens eſt illa eadem, quæ eſt per ſe, comparata ad id, quod peraccidens conjungitur effectui, ut faciens per ſe ſepulchrũ, invenit peraccidens theſaurum. Et ex hac diviſione cauſæ ſequitur diviſio effectus in effectum per ſe, ut ædificium reſpectu ædificatoris, & in effectum peraccidens, ut eſt inventio theſauri ab ædificatore, dum intendit ædificare. Eſt autem effectus peraccidens duplex; uno modo dicitur effectus peraccidens, quia accidit effectui per ſe: quo pacto album ſtatuæ eſt effectus peraccidens ſtatuarii. Secundo modo effectus peraccidens eſt ipſemet effectus per ſe, comparatus cum eo, quod accidit cauſæ per ſe, ut ſtatua eſt effectus peraccidens Muſici ædificatoris, ut ædificator eſt Muſicus.*

Communis Scholarum jam ab initio recepta doctrina.

Hos ſequuti ſunt cæteri Scholaſtici omnes, ut adeo hæc recepta & ubiq; uſitata in Scholis doctrina ſit: Cum aliquid accidit cauſæ, illud dicitur cauſa peraccidens; cum aliquid accidit effectui, illud dicitur effectus peraccidens, & conſequen-

quenter etiam causa respectu ejus dicitur causa peraccidens: Causa enim & effectus sunt relata, quæ se mutuò ponunt & tollunt, posito quod aliquid dicatur effectus peraccidens, necessariò & respectu ejusdem dicitur aliquid causa peraccidens, & vice versa.

Impedimenta & quæ removēt impedimenta sunt causæ per accidēs secundum Aristotelem.

Jam ulterius videbimus, anne particulares & distinctas quasdam rationes causarum peraccidens in Aristotele repeçriamus. Et sanè invenimus, quod impedimenta & quæ removent impedimenta inter causas peraccidens numeret, eas scilicet, quæ dicuntur ratione effecti, licet id, quod dicitur effectus, ad antecedentem aliquam actionem necessariò vel utplurimum sequatur. Lib. 8. Phys. cap. 4. t. 32. dum agit de motu gravium & levium sic loquitur: *Qui removet, quod subest & prohibet, aliquo modo movet, aliquo modo non movet; veluti qui columnam subtraxit, aut qui lapidem exemit ex utre: Ex accidenti namq; movet, sicut & pila repercussa non à pariete mota est, sed ab eo, qui projecit.* Qui columnam subtrahit, facit lapidem deorsum tendere, non per se, sed peraccidens, quia gravitas lapidis, quæ accidit isti subtractioni id facit, vel primum generans lapidem, ut docet Aristoteles: Elementa enim non à seipsis, sed à generantibus ipsa moventur sursum vel deorsum. Et qui lapidem removet ab utre vento pleno in aqua, is fecit ipsum natare, non per se, sed per accidens, quia levitas vel generans, quod aëri communicavit levitatē, fecit eum natare. Themistius super hæc verba sic scribit: *Qui a. id, quod substat & prohibet, movet, est & ipse tanquam movens, est quoq; ut non movens, veluti qui columnam subtrahit, aut lapidē tollit à vase in aqua, antecedēter quidē columnā movet & lapidē, per accidens a. parietē & vas.* Simplicius hæc habet verba: *Dicit igitur id, quod substat & quod prohibet, tollens est ut movens, est & ut non movens: Per se n. non movet: aliud n. antecedenter operatur, peraccidens a. movet: Qui enim columnam*

Themistius de impedimentis & ea removentibus.

Simplicius.

 sub-

trahit, per se quidem illam movet, peraccidens autem & trabem, quæ à columna sustinetur & prohibetur secundum propriam naturam descendere deorsum. Similiter & qui impositum utri inflato lapidem tollit, per quem submergebatur nec innatabat aquæ; antecedenter quidem lapidem movit, peraccidens autem vas, quod ablato detinente ipsum lapide sursum fertur. Adhuc autem magis dissimilitudinem motus, quæ est in iis, quæ per se movent, & quæ auferunt prohibentia motum, in pila ostendit, quæ repercutitur à pariete. Sicut enim illam quidem antecedenter movet, qui primùm dimittit, peraccidens autem paries, à quo repercutitur: sic & corpora naturalia antecedenter à transmutantibꝰ & facientibus ea moventur, peraccidens autem à tollentibus impedimenta motus.

Avenroes. Consulamus & alios commentatores, ut quomodo impedimentum vel removens impedimentum causa peraccidens dicatur, planè innotescat, Avenroes in lib. 8. Phys. cap. 4. ita scribit: *Si aliquis homo aufert columnam sustentantem pondꝰ, tunc ille homo movebit illud pondus ad inferius, & cadet illud ponderosum ad inferius peraccidens. Et similiter quando aufert lapidem super utrem inflatum, ille homo dicitur movere illum utrem peraccidens, & dicitur movere peraccidens, quia ista potentia est violentia, scilicet potentia impedita —— Quemadmodum quando projiciens projecit pilam ad parietem & reflectitur ab eo, non dicitur, quod paries movet illam illo motu reflexo per se, sed projiciens, & paries si dicatur movere, dicitur peraccidens, & ita dicitur illud, quod aufert impedimentum, movere lapidem peraccidens, & quod generat ipsum, movere ipsum essentialiter* (hoc est per se)

Thomas. Thomas de Aquino in Comment. ad h. l. lect. 8. idem his declarat verbis: *Sic ergo patet, quod illud, quod movet, id est removet hoc, quod est prohibens & sustinens id est detinens, quodammodo movet & quodammodo non movet, puta si columna sustineat aliquod grave, & sic impediat ipsum*

ipsum descendere, ille, qui divellit columnam, quodammodo dicitur movere grave columnæ suppositum. Et similiter ille, qui removet lapidem, qui impedit aquam effluere à vase, dicitur quodammodo movere aquam. Dicitur enim movere peraccidens & non per se, sicut si sphæra id est pila si repercutiatur à pariete, non autem per se, sed à primo projiciente per se mota est. Paries enim non dedit ei aliquem impetum ad motum, sed projiciens. Peraccidens autem fuit, quod dum à pariete impediretur, ne secundum impetum ferretur, eodem impetu manente in contrarium motum resilivit. Et similiter ille, qui divellit columnam, non dat gravi supposito impetum vel inclinationem ad hoc, quod sit deorsum, hoc n. habuit à primo generante, quod dedit ei formam, quam sequitur talis inclinatio. Sic igitur generans est per se movens gravia & levia, removens autem prohibens peraccidens.

Puto, ex his manifestum esse, quod impediens vel prohibens, & removens impedimentum seu obstaculum causa sit peraccidens effectus sequentis, & huc spectat exemplum Aristotelis in antecedentibus, lib. 2. Phys. t. 30. *Amplius*, inquit, *eadem causa contrariorum: Quod enim præsens causa hujus est, hoc & absens facimus aliquando causam contrarii, ut absentiam nautæ subversionis navis, cujus erat præsentia causa salutis*. Idem habet lib. 4. Metaph. cap. 2. Nauta dum necessariam operam præstat navi, illam conservat, cum autem abest à navi, subtrahit ipsi necessarium auxilium, quod interitum impediebat, hinc sequitur navis interitus, cujus absentia nautæ est causa peraccidens. Simplicius in commentar. ad hæc verba ita scribit: *Postquam dixit, quod omnia ejusdem & sibi invicem sint causa, addit, quod & idem contrariorum, sed non eodem modo se habens, sed contrariè dispositum: Quod enim præsens alicui salutis causa est ut nauta navi, idem absens interitus. Et manifestum est, quod præsens per se causa sit, absens autem peraccidens*. Philoponus ita commentatur: *Præterea dicit, idem con-*

Nauta per absentiam est causa subversionis navis per accidens.

Simplicius de absentia nautæ.

Philoponus.

contrariorum causa esse potest: Nauta enim præsens quidem est navibus causa salutis, absens autem interitus ipsis causa fit: Et dicit, quod non per se nauta absens interitus causa fiat navi, sed per accidens. Johannes Scotus in 5. Metaph. Summæ 2. cap. 2. exponens hunc locum, ait: *Est autem attendendum, quod, quando idem est sic causa contrariorum, non est eodem modo, sed unius est causa per se, & alterius per accidens: Gubernator enim per se salvat navē, sed per accidens perdit, quando non est præsens.*

Scotus.

Nauta per absentiam non tantum est causa per accidens interitus navis, sed simul causa moralis, cui jure imputari possit effectus.

Cæterum si nauta non adsit, & ita per absentiam ejus intereat navis, utiq; de jure ipsi imputatur interitus, & obligatur ad pœnam, quia antecedenter aliquid fecit, hoc est se navi subtraxit, quod facere non debebat. Igitur causa per accidens, quæ est impedimentum vel removens prohibens, aliter spectatur in Philosophia speculativa, ubi obligatio morum non attenditur, & proinde simpliciter dicitur causa per accidens; aliter in philosophia morali, ubi ejusmodi obligatio locum habet, & proinde effectus tales per accidens de jure imputantur vel in laudem vel in vituperium. Et hæc causa est, quamobrem Aristoteles hoc exemplum in enumeratione causarum posuit, antequam inciperet agere de causis per accidens: Nam tametsi nauta Physica quadam actione navem non subvertat & destruat, tamen in genere morum ipsi de jure imputatur effectus tanquam causæ; ut adeo suo modo ad causam per se reducatur. Ideo dicit: *Quod præsens est causa hujus effectus, hoc absens αἰτιώμεθα ἐνίοτε, dicimus interdum seu adducimus & accusamus ut causam:* Quemadmodum & Thomas & Scotus hæc verba reddiderunt: *causamur & accusamus ipsum de contrario.* Hæc ponderantes Scholastici sequentium temporum, distinctionem causæ in Physicam & moralem induxerunt. De qua ita scribit Franciscus Suarez Disput. 17. Metaphys. Sect. 2. num. 6. *Causa moralis dicitur de illa causa, quæ per se non verè efficit, moraliter tn. ita se gerit, ut ei im-*

Causa moralis & Physica quid sit.

ei imputetur effectus, quomodo causa consulens aut rogans, aut non impediens, cum possit ac debeat, dicitur causa moralis. Addit: *Hoc posteriori modo nunc sumimus moralem causam, ita ut causa Physica dicatur, quæ verè efficit: moralis, quæ tantùm imputativè. Quo fit, ut Physicè seu Metaphysicè hæc considerando, divisio hæc revocetur ad priorem de causa per se & peraccidens: Nam causa verè efficiens Physicè solùm dicitur de causa per se: causa autem, quæ moraliter seu tantùm imputativè causat, physicè considerata tantum est causa peraccidens, cum per se ac verè non influat —— Hæc verò causalitas, quæ Physicè est peraccidens, moraliter & imputativè reputatur per se.*

Sic ergo impedimenta & removentia prohibens sunt causæ peraccidens, quamvis necessarius quadantenus ordo & nexus spectetur inter accidens & antecedentem actionem, ut, remoto sustentaculo semper, nisi quid aliud impediat, lapis tendit deorsum, & remoto pondere deprimente semper uter natat: Quod ita pariter in aliis spectatur. Et tamen qui removet prohibens, causa peraccidens est, quia accidit columnæ lapis impositus, per suam naturam tendens deorsum; & habere lapidem superpositum accidit utri, qui per naturam suam natat. Scilicet necessitas, quæ hîc spectatur, non simplex & absoluta est, sed ex suppositione, qualis & in accidentibus locum habet: Posito enim, quod lapis à columna sustineatur, hac revulsa decidit; posito quod uter pondere quodam in aquæ fundo detineatur, eo remoto necessariò natat, nisi quid aliud fortè impediat.

Necessitas inter antecedétë actionem & effectum peraccidens est tantum ex suppositione.

Deinde reperimus in Aristotele, quod causa peraccidens dicatur, cum accidit aliquid effectui per se, sed raró, & hæc dicitur casus & fortuna, quorum definitionem investigat lib. 2. Phys. cap. 4. & seqq. tanquam specialium significatorum causæ per accidens ratione effectus. Et tandem subjicit cap. 5. t. 52. *Patet igitur, fortunam esse causam peraccidens in iis,*

Casus & fortuna sunt causæ peraccidens.

quæ rarò contingunt secundum præelectionem eorum, quæ alicujus gratiâ fiunt. Et cap. 6. *Utraq; igitur sunt causæ, sicuti dictum fuit, per accidens, tam fortuna, quàm casus, videlicet in iis, quæ fieri contingit nec simpliciter nec plerumq;, & sunt in horum numero, quæ fieri possunt alicujus gratiâ. Differunt autem, quia casus latius patet.* Et postea: *Quare perspicuum est, in iis, quæ simpliciter alicujus causâ fiunt, quando non ejus, quod contingit, gratiâ facta sunt, quæ externam causam habent, tum nos dicere, hæc casu esse facta. Horum autem ea fieri à fortuna, quæ casu fiunt, & sub eorum præelectionem cadunt, quæ præelectione sunt prædita.* Requiritur scilicet ad fortunam, ut quis per electionem agat ob certum finem, & ut effectui per se intento aliquid accidat ex improviso, quod rarò cum isto effectu ita conjunctum spectetur, veluti si quis terram fodiens thesaurum inveniat: Thesaurus enim cum fossione terræ rarò conjungitur. Ad casum autem requiritur, ut aliquid agat ob finem, & ut effectui aliquid accidat, quod rarò ita cõjunctum cernatur, ut tripes decidit per naturalem suam gravitatem, quâ tendit deorsum, sed stetit erectus & ad sedendum accommodatus. Nam prospera & adversa fortuna non datur, nisi in iis, quæ per electionem agunt, & in quibus vitia & virtutes locum habent: Qua de causa nec bestia nec puerulus nec quicquam inanimatum dicitur à fortuna aliquid facere sed tantùm casu.

Etiam respectu ejus, quod accidit effectui saltem in eodem tempore dicitur causa per accidens secundũ Aristotelem.

Denique reperimus in Aristotele, causam per accidens dici, cum aliquid accidit effectui saltem in eodem tempore, licet cum antecedente operatione nullo modo copuletur, nisi fortè secundum existimationem & opinionem hominum. Nam lib. 1. Poster. cap. 4. quando modos dicendi per se explicat, iterum ex opposito declarat, quid sit causa per accidens: *Alio præterea modo*, inquit, (qui est quartus dicendi modus per se) *quod propter se inest unicuiq;, per se est, quod non*

per se, accidens, ut si ambulante aliquo fulguravit, accidens est: non enim propter ambulationem fulguravit sed dicimus hoc accidit. Si verò propter se, per se inest, ut si quis jugulatus interiit & per jugulationem: quoniam ideo periit, quia jugulatus est, non autem accidit jugulatum interire. Nempe causa per se facit, us aliquid de aliquo dicatur per se, causa peraccidens non itē. Philoponus in Comment. ad hunc locum ita ait: *Hoc est quartum ipsius per se significatum, quod causa alicujus est non peraccidens, veluti si aliquo ambulante fulserit, ait, non dicimus per se propter ambulationem fulgurâsse, sed peraccidens: Nam & si non ambulâsset fulgurâsset. Quoniam neq; si quis fodiens thesaurum invenit, fossionem causam dicimus inventionis thesauri per se, sed peraccidens. Neq; enim propterea fodit. Si autem quis jugugulatus moriatur, jugulationem mortis causam per se dicimus: Non enim accidit jugulationi mors, sed mortis causa sit jugulatio.* Et postea, dum ostendit, quod tantùm primi duo modi per se, non tertius & quartus assumantur in demonstratione, inter alia scribit: *Quartum autem significatum, etsi alterum de altero prædicatur, tanquam causa de effectu, & necessariò causam effecti causam esse dicimus, non tamen in propositionem cadit, sed magis in totius Syllogismi structuram.* Thomas in Commentar. hæc habet verba: *Ponit quartum modum, secundum quem hæc præpositio, per, designat habitudinem causæ efficientis vel cujusq; alterius. Et ideo dicit, quod quicquid inest unicuiq; per seipsum, per se dicitur de eo, quod verò non per se ipsum inest alicui, peraccidens dicitur, sicut cum dico, hoc ambulante coruscat: Non enim propter id, quod ambulat, coruscavit, sed hoc dicitur secundum accidens. Si verò quod prædicatur, insit subjecto per se ipsum, per se inest, ut si dicamus, quod interfectum interiit Manifestum est enim quod propter illud, quod interfectum est, interiit, & non est accidens, quod interfectus interiit.* Philoponus. Thomas.

Simi-

Alius locus Aristotelis.

Similem locum habet Aristoteles lib. 1. prior. Analyt. cap. 12, ubi disserit de propositionibus contingentibus, quæ & in connexione causarum & effectuum locum habent: *His definitis*, inquit, *rursus dicamus, contingere dici duobus modis: uno quod plerumq; fit ac deficit à necessario, ut hominem canescere, vel augeri, vel tabescere, & omnino quod naturâ esse solet: hoc enim non habet continuam necessitatem, quia non semper homo est: sed si homo sit, aut necessariò aut plerumq; est: Alio modo, quod est indefinitum, quodq; & ita & secus esse potest, ut animal ambulare, aut eo ambulante fieri terræ motum, & omnino quod fit à fortuna: Horum enim nihil magis ita naturâ comparatum est, quàm contrario modo.* Quod de causa peraccidens loquatur, manifestum est, quia ambulatio & fulgur, vel terræ motus non aliter comparantur, quam ut causa & effectus secundum existimationem hominum eò, quod eodem tempore contingunt. Ideo & fortunam adducit, quàm esse causam peraccidens, jam vidimus. Neq; ex opinione vulgi sed sua secundum rei veritatem loquitur, ex inductione & notioribus nobis more consueto definitiones construens, præsertim in perfectissimo opere Analytico.

Summatim quid & quotuplex sit causa peraccidés.

Igitur ex his omnibus jam manifestum est, quod ad causam peraccidens nihil aliud requiratur, quàm ut causæ vel effectui aliquid accidat: Accidens enim illud dicitur causa vel effectus peraccidens: Effectus autem peraccidens infert & causam peraccidens, ut aliquid respectu istius effectus peraccidens dicatur causa peraccidens, idq; vel ut impediens & removens prohibens, vel ut casus & fortuna, vel ut conjunctum quid saltem in eodem tempore, ut ambulans respectu fulguris aut terræ motus. Unde Thomas jam omnia hæc significata in unum colligens hæc notabilia reliquit verba in lib. 5. Metaphys. Lect. 3. *Sciendum autem est, quod aliquid potest dici causa peraccidens alterius dupliciter: Uno modo ex*

Thomas.

parte causæ, quia scilicet illud, quod accidit causæ, dicitur causa per accidens, sicut si album dicatur causa domus. Alio modo ex parte effectus, ut scilicet aliquid dicatur causa per accidens alicujus, quod accidit ei, quod est effectus per se. Quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo quia habet ordinem necessarium ad effectum. Unde removens prohibens dicitur movens per accidens, sive illud accidens sit contrarium, sicut cholera prohibet frigiditatem, unde scamonea dicitur infrigidare per accidens, non quia causet frigiditatem, sed quia tollit impedimentum frigiditatis, quod est ei contrarium, scilicet choleram; sive etiamsi non sit contrarium, sicut columna impedit motum lapidis. Unde removens columnam dicitur per accidens movere lapidem superpositum. Alio modo, quando accidens habet ordinem ad effectum, non tamen necessarium, nec ut in pluribus, sed ut in paucioribus, sicut inventio thesauri ad fossionem in terra: & hoc modo fortuna & casus dicuntur causæ per accidens. Tertiò, quando nullum ordinem habent, nisi fortè secundum existimationem, sicut si aliquis dicat, se esse causam terræ motus, quia eo intrante domum accidit terræ motus. Eandem distinctionem habet Scotus in lib. 5. Metaphys. Summæ unicæ cap. 3. dum ait: *Notandum etiam, quod per accidens potest dupliciter sumi, scilicet vel ex parte effectus vel ex parte causæ. Primo modo dicitur causa per accidens respectu ejus, quod accidit effectui per se, quod potest etiam dupliciter intelligi: Uno modo quia habet ordinem necessarium ad effectum per se, sicut remotio impedimenti habet ordinem necessarium ad effectum, & propter hoc agens removens impedimentum dicitur agens per accidens. Exemplum: Aperiens fenestram est causa illuminationis domus, & removens trabem est causa descensus lapidis existentis super trabem. Alio modo potest esse, quando effectus per accidens habet aliquem ordinem ad effectum per se non necessarium, nec ut in pluribus, sed ut raro. Exemplum, ut inventio thesauri ad fossionem foveæ, & hoc modo casus & for-* Scotus.

tuna dicuntur causæ per accidens secundo Physicorum. Omittit tertium significatum, quia illud ad secundum revocari fortè existimavit.

Alia Thomæ loca, in quibus de causa peraccidés agit.

Passim & alibi Thomas præsertim in summa sua Theologica has significationes & acceptiones causæ peraccidens inculcat & ad materiam Theologicam applicat, veluti 1. part, quæst. 104. art. 1. *Aliquid*, ait, *conservatur ab altero dupliciter: uno modo indirectè & peraccidens; sicut ille dicitur rem conservare, qui removet corrumpens, puta si aliquis puerum custodiat, ne cadat in ignem, dicitur eum conservare. Et sic etiam Deus dicitur aliqua conservare, sed non omnia, quia quædam sunt, quæ non habent corrumpentia, quæ necesse sit removere ad rei conservationem. Alio modo dicitur aliquid rem aliquam conservare per se directè, quando scilicet illud, quod conservatur dependet à conservante, ut sine eo esse non possit. Et hoc modo omnes creaturæ indigent divina conservatione.* Et 1. 2. quæst. 76. art. 1. *Dicendum, quod secundum Philosophum in 8. Phys. causa movens est duplex, una per se & alia peraccidens. Per se quidem est, quæ propria virtute movet, sicut generans est causa movens gravia & levia: Peraccidens autem sicut removens prohibens, vel sicut ipsa remotio prohibentis.* Et quæst. 75. art. 5. *Aliquid est causa alterius dupliciter, unô modô quidem per se, aliô modô peraccidens. Per se quidem est causa alterius, quod secundum virtutem suæ naturæ vel formæ producit effectum. Unde sequitur, quod effectus sit per se intentus à causa —— Peraccidens autem aliquid est causa alterius, si sit causa removens prohibens, sicut dicitur in 8. Phys. quod divellens columnam, peraccidens movet lapidem columnæ superpositum.* 22. quæst. 3. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod removens prohibens non est causa per se, sed peraccidens, ut patet per Philosophum in 8. Phys. Unde fortitudo, quæ removet impedimentum confessionis fidei, scilicet timorem vel erubescentiam, non est propriè & per se causa confessionis, sed quasi peraccidens.* Et quæst. 43.

art. 1.

art. 1. ad 4. *Dicendum, quod dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi: Unô modô per se, aliô modô per accidens: Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum —— Et tunc ille, qui hujusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ, unde vocatur scandalum activum. Per accidens autem aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quando & præter intentionem operantis & præter conditionem operis aliquis malè dispositus ex ejusmodi opere inducitur ad peccandum: puta, cum aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc ille, qui facit ejusmodi actum rectum, non dat occasionem secundum illud ad Rom. 7. occasione autem accepta &c.* Ubi non tantùm causam per accidens explicat, sed & ad legem Dei applicat; ostendens, quomodo peccatum occasionem acceperit ex lege operandi concupiscentiam, Rom. 7. v. 8. seu quomodo lex peccatum operari vel augere dicatur. Item 3. part. quæst. 47, art. 1. sic ait: *Dicendū, quod aliquid potest esse causa alicujus effectus dupliciter. Unô modô directè ad illud agendo: Et hoc modo persecutores Christi eum occiderunt —— Aliô modô dicitur aliquis causa alicujus indirectè, scilicet quia non impedit, cum impedire posit: sicut si dicatur aliquis alium perfundere, quia non clausit fenestram, per quam imber ingreditur. Et hoc modo ipse Christus fuit causa suæ passionis & mortis: Poterat enim suam passionem & mortem impedire.*

Causa per se tantum vera causa est, causa peraccidens non item.

Cum ergo constet, quid & quotupliciter dicatur causa peraccidens, illud quoque rem consideranti manifestum est, quod causa per se tantùm propriè & verè causa sit, causa autem peraccidens non item, quà talis seu quatenus est causa peraccidens. Cum enim aliquid accidit causæ, illud jam est causa peraccidens, & cum aliquid accidit effectui, jam est effectus peraccidens, etiamsi nulla hîc intercedat causalitas.

Idq; nomen ipsum indicat: Causa enim per se est, quæ non per aliud vel in conjunctione cum alio hoc nomen sortitur: causa autem peraccidens, quæ per aliud vel ob unionem cum alio sive in eodem subjecto, sive loco, sive tempore hanc appellationem suscipit. Aristoteles ipse, quomodo vocabulum accidentis hîc usurpetur, indicat lib. 5. Metaphys. cap. ult. dum ait: *Cum igitur aliquid existit, & alicui inest, & quadam talium, & alicubi & aliquando, quod utcunq; existit quidē, sed non propter illud ipsum, aut nunc, aut hîc, accidens erit:* Id est, si quid existat, nec tamen ut tale; & si quid alicui insit, nec tamen quatenus ipsum seu propter ipsum; & si quid in aliquo tempore sit, nec tamen quatenus ipsum tempus hoc requirit; & si in aliquo loco sit, nec tamen quatenus ipse locus hoc infert, accidens est seu peraccidens id esse dicimus: Non enim quatenus ipsum ejusmodi prædicationem suscipit, sed secundum alterum. Quid clarius? Accidens non est propter ipsum, cui adjungitur, effectus peraccidens non est propter ipsum, cujus dicitur effectus, consequenter & causa peraccidens non est causa respectu talis effectus, secus hic esset propter ipsam.

Avenroes. Avenroes in Comment. hujus loci Aristotelis mentem his exprimit verbis: *Omne quod est in tempore & loco, dicitur in omni, quod convenit loco aut tempori, quod est causa peraccidens, non verè, sed quia tantum convenit in tempore aut in loco; in loco autem, sicut fossura convenit thesauro in loco fossuræ: in tempore autem, ut si cum fiat aliqua coruscatio, moriatur aliquod animal. Deinde dicit, & accidens non habet causam, nisi casum, Casus autem necessariò non est causa.* Thomas de Aquino in Comment. ad h. l. sic scribit: *Quia ergo sicut aliquid inest alicui subjecto determinatè, ita & aliquid consideratur esse alicubi, id est in aliquo loco determinato, & quandoq;, id est, in ali-*

Thomas.

quo tempore determinato; in omnibus contingit inesse peraccidẽs, si non insit, secundum quod hujusmodi. Sicut si album dicitur de Musico, hoc est per accidens, quia non inest Musico, in quantum hujusmodi. Et similiter, si sit abundantia pluviæ in æstate, hoc est per accidens, quia non accidit in æstate, in quantum est æstas. Et similiter, si grave sit sursum, hoc est per accidens: Non enim est in tali loco, secundum quod talis locus est, sed per aliquam causam extraneam. Hæc ille, quo cum per omnia & Scotus consentit in eundem locum. Si minima causalitas alicubi spectetur, jam cessat aliquid dici peraccidens, quia prædicatur per se, veluti in æstate magnum æstum esse non est accidens, quia æstus est ob æstatem & tempus hoc illum infert, adeoq; causalitas quædam hic spectatur: sed æstas non est causa, ut sub cane frigus sit, inde dicitur causa frigoris peraccidens vel frigus esse in æstate peraccidens. Similiter cum lapis in aere supra tenetur, aër non est causa, ut ibi lapis sit, nec natura lapidis istum locum requirit, ideo iste locus est detentionis lapidis causa peraccidens vel lapis in eo loco est peraccidens: At lapidem jacere in terra, in loco gravium, à loco illo quà tali est, & lapidis naturæ conveniens, unde non dicitur lapis ibi esse peraccidens, sed per se. Et sic deinceps: Ubi causalitas spectatur, ibi quatenus ipsum est, ubi quatenus ipsum, ibi prædicatur aliquid per se, non per accidens. Lib. 5. Metaphys. cap. 2. *Fabrum*, inquit Philosophus, *sanitatem fecisse, accidens est, quoniam non est aptus ad sanitatem faciendam faber, sed medicus: verùm accidit fabrum esse medicum. Cocus etiam voluptati intentus facit quicquam salubre, sed non secundũ pulmentariam. Unde dicimus, quod accidit. Et quodammodo quidem facit, simpliciter verò minimè*, scilicet, quia non facit secundum artem pulmentariam, ut cocus.

Idem clarè constat ex 1. Poster. cap. 4. ubi disertè dicit: *Quod propter ipsum inest alicui, per se, quod autem non propter ipsum*

Quod propter ipsum inest, per se, quod autẽ non propter ipsum, peraccidens.

ipsum peraccidens, ut si ambulante aliquo fulserit, accidens est: quia non propter ambulationem fulguravit, seu quod idem est, fulguris causa non est ambulatio; *si autem quis jugulatus intereat, per se est, quia propter jugulationem interit*, seu jugulatio est causa interitus. Sic ergo dum accidens seu causam peraccidens ponit Aristoteles, tollit causalitatem; cum causalitatem alicubi ponit vel in minima parte, tollit id, quod dicitur peraccidens. Et hæc causa est, quod causam peraccidens causis οἰκέως propriè dictis opponit lib. 2. Phys. cap. 3. dum ait: *Præter omnes a· causas*, καὶ τὰ οἰκείως λεγόμενα καὶ τὰ κατὰ συμβεβηκός, *& quæ propriè & quæ peraccidens dicuntur, aliæ dicuntur causæ, quia possunt; aliæ quia agunt*. Quod & repetit lib. 5. Metaph. cap. 2. Philoponus in Comment. ad eundem locum similiter scribit: *Dicit, quod præter causas propriè dictas, id est, per se, & peraccidens quædam dicuntur causæ in potentia, sicut potentes operari, quædā verò sicut operantes in actu.*

Causa peraccidēs nullius est, nec movet.

Præterea expressis verbis dicit Aristoteles, causam peraccidens nullius esse nec movere. Lib. 8. Phys. cap. 4. dum disserit de removente prohibens, ait: *Est ut movens, est ut non movens: Peraccidens enim movet, sicut reflexa pila non à pariete mota est, sed à projiciente*. Paries est reflexionis causa peraccidens & non movet, ergo causa peraccidens non movet. Removens prohibens movet, & non movet; movet antecedenter, ut dicunt interpretes, v. g. columnam, quæ sustinet lapidem, dum eam subtrahit; ipsum autem lapidem impositum non movet, sed is à primo generante & nativa sua gravitate movetur deorsum. Columnam per se movet, & ideo movere propriè dicitur, lapidem impositum peraccidens movet, id est non movet, sed aliud ipsum movet; motus autem lapidis, quem habet à primo generante & insita gravitate tanquam causa per se, accidit motui columnæ tanquam effectui moventis columnam, & sic movens columnam est

causa peraccidens motus lapidis, hoc est non causa, quia non movet. Lib. 2. Phys. cap. 5. cum ostendisset, fortunam esse causam peraccidens, inde concludit, eam nullius causam esse: *Aliquo modo*, inquit, *nihil à fortuna fieri posse videtur: Hæc enim omnia rectè dicuntur, quia sunt rationi consentanea. Nam aliquo modo fit à fortuna: ex accidenti namq; ac fortuna est causa ut accidens, simpliciter autem nullius rei causa est.* Themistius in Comment. hujus loci assignat differentiam causarum peracidens cæterarum, quas adduxerant Aristoteles, & fortunæ, & inter alia sic scribit: *Differt autem ab aliis causis peraccidens fortuna, quoniam earum quælibet, quatenus causæ per se quid accidit, sic & causa ipsa dicitur, ut album, aut Musicum, aut ambulans, aut sedens: Quapropter nec causa alicujus propriè* κυρίως *tale quid est. In fortuna autem una & eadem actio est, sed alterius causa per se, alterius causa peraccidens: Nam fossio plantationis causa per se est, inventionis thesauri autem peraccidens, ut ibi quidem in causis sit differentia, dum una est per se, altera per accidens; hîc autem in finibus: Unus enim per se est, alter peraccidens: Habet enim fortuna quoq; nec minus nec magis indeterminatum.* Simplicius in Commentar. ad h. l. dicit, Aristotelem probare, fortunam non esse causam, concludendo hunc in modum: *Omnium eorum, quæ fiunt, causæ determinatæ sunt: Sed fortuna & casus nullius sunt causæ determinatæ: Ergo nullius eorum, quæ fiunt, fortuna causa est & casus.* Et in subsequentibus dicit: *Tertium hoc addit, quod qui dicunt nihil fieri à fortuna, secundum quendam modum rectè dicunt: Si enim quis propriè dictas & per se causas solas causas vocet, non item causas peraccidens, non videtur alicujus causa fortuna esse. Nam in causis peraccidens dictis illa est. Omnia igitur, ait, dicta de fortuna, quod immanifesta homini, quod nullius causa, quod indeterminatorum causa, rectè dicuntur.* Philoponus hæc habet verba: *Secundum quid, dicit, causa*

Themistius.

Simplicius.

Philoponus.

causa quorundam est fortuna, secundum quid verò nullius. Simpliciter enim eorum, quorum propriè & per se sunt causa, nullius est causa, per accidens verò eorum, quæ in paucioribus fiunt, est causa. Est causa, quia in eam quædam reducuntur, cum dicimus, hoc est à fortuna vel casu, licet revera nihil efficiat, sed tantum effectis per se aliquid accidat. *Cum fortuna sit causa per accidens,* inquit Thomas in h. l. *sequitur, quod à fortuna sit aliquid per accidens. Quod autem est accidens, non est simpliciter. Unde sequitur, quod fortuna simpliciter nullius sit causa.* Lib. 11. Metaphys. cap. 7. dum ostendit Aristoteles, entis per accidens nullam esse scientiam, inter cætera sic scribit: *Causa verò illæ indeterminatæ sunt, à quibus ea fiunt, quæ à fortuna sunt: ideo immanifesta talis est causa humanæ rationi, & causa per accidens, simpliciter autem nullius.* Ad quem locum iterum Thomas hæc notat: *Quia omne infinitum est ignotum, ideo fortuna est incerta humanæ cogitationi, & dicitur esse causa secundum accidens: nullius autem est causa simpliciter & per se.*

Thomas.

Causa per accidés dicitur, ut ens per accidens.

Porro notandum, quod Aristoteles per omnia causam per accidens comparet cum ente per accidens, & hujus eam dicat causam esse. Id quod ultrò patet ex dictis: Nam lapis angularis & offensio in ipsum sunt ens per accidens, ideo & architectus, qui est causa per se positi lapidis angularis est simul causa per accidens. Vidimus supra verba Aristotelis ex lib. 2. Phys. cap. 5. *Sicut ens,* inquit, *aliud est per se, aliud per accidens, sic & causa esse potest.* Et lib. 11. Metaphys. cap. 7. ait: *Quemadmodum enim ens quoddam per se, quoddam secundum accidens est; ita & causa.* Quid autem sit ens per accidens, & quomodo contradistinguatur enti per se, docet nos lib. 5. Metaph. cap. 7. *Ens,* inquit, *dicitur aliud secundum accidens, aliud per se. Secundum accidens, ut justum Musicum esse dicimus, & hominem Musicum, ac Musicum hominem, similiter dicentes. Quemadmodum dicimus Musicum ædificare, quia accidit ædificatori*

catori Musico esse, aut Musico ædificatori. Hoc etenim hoc esse dicere, significat, hoc huic accidere —— Quæ igitur secundum accidens esse dicuntur, ita dicuntur, aut quoniam eidem enti ambo insunt, aut illi enti inest, aut quoniam ipsum inest, cui inest, de quo ipsum prædicatur. Per se verò esse dicuntur, quæcunq; significant prædicationis figuras.

Igitur, quod probè observandum est, aliter distinguitur ens in substantiam & accidens, aliter in ens per se & peraccidens: Nam figuræ categoriarum omnes sunt entia per se, calor, color, actio, passio, figura, locus, situs, habitus, nec attenduntur, cum de entibus peraccidens loquimur, quandoquidem ens peraccidens est, quod dicitur de aliquo neq; semper neq; ut plurimum, sed in paucioribus, adeoq; non quatenus ipsum, sed propter aliud est & dicitur, v.g. Musicus est justus, non quà Musicus, sed quatenus justitia ipsi accidit in eodem subjecto. Possumus hîc adducere verba Thomæ ex lib. 5. Metaph. lect. 9. *Sciendum est*, inquit, *quod illa divisio entis non est eadem cum illa divisione, quâ dividitur ens in substantiam & accidens. Quod ex hoc patet, quia ipse postmodum ens secundum se dividit in decem prædicamenta, quorum novem sunt de genere accidentis. Ens igitur dividitur in substantiam & accidens, secundum absolutam entis considerationem, sicut ipsa albedo in se considerata dicitur accidens, & homo substantia. Sed ens secundum accidens, prout hîc sumitur, oportet accipi per comparationem accidentis ad substantiam. Quæ quidem comparatio significatur hoc verbo, Est, cum dicitur, homo est albus: Unde hoc totum, homo est albus, est ens peraccidens. Unde patet, quod divisio entis secundum se & secundum accidens, attenditur, secundum quod aliquid prædicatur de aliquo per se vel peraccidens. Divisio verò entis in substantiam & accidens attenditur secundum hoc, quod aliquid in natura sua est vel substantia vel accidens.*

Aliter distinguitur ens in substantiam & accidens, aliter in ens per se & peraccidens.

Ens peraccidens non est verè & propriè ens.

Hoc posito, constat, quod ens peraccidens non sit verè ens: Neq; enim, quod sic est, per se & in se est, sed alterum est, quod ipsi accidit, & propter quod illud tale esse dicitur, v.g. Musicus est architectus non in se, ita hoc non ens est, sed alterum est, nempe subjectum habens artem architectonicam. Sic dicitur homo est architectus, illud esse si respectu hominis consideretur est non ens; at si alterum, quod accidit homini spectetur, per & propter illud alterum, nempe artem architectonicam dicitur homo esse architectus. Nam peraccidens esse, est per aliud esse, ut ait Aristoteles 4. Phys. cap.4. t.14. *Cum autem aliquid per se, aliquid per aliud, καθ' ἄλλο dicatur*, id est peraccidens, ut explicat cap. 7. t. 45. *Fuit illud non secundum se, sed ᾗ ἕτερον, quà alterum*, ait lib. 5. Metaph. cap.30. dum, quid sit accidens declarat. *Quæcunq; non κατ' ἄλλο per aliud dicuntur, sed prima & per se*, inquit lib. 7. Metaphys. cap. 6. Lib. 3. Eudemior. cap. 2. hæc habentur verba: *Sed & odoribus iis gaudent maximè, qui non peraccidens, sed per se oblectant. Dico autem per se, quibus gaudemus, nec sperantes nec recordantes aliud, velut cibi aut potus: nam ob aliam, hoc est, edēdi bibendiq; facultatem iis gaudemus. Per se verò, ut est lucorum & florum.* Idem cognoscitur ex lib. 5. Metaph. cap.13. ubi de quanto per se & per accidens ait Philosophus: *Alia per se quanta quædam dicuntur, alia peraccidens, ut puta linea quidem quantum quiddam per se est; Musicum verò secundum accidens* —— *Eorum autem, quæ secundum accidens dicuntur quanta, quoddam ita dicitur, ut prædictum est, quod Musicum & album quantum est, eò, quod illud, cui insunt, quantum quid est: quædam ut motus & tempus: & hæc enim quanta quædam & continua dicuntur, eò, quod illa divisibilia sunt, quorum hæc sunt passiones.*

Ens peraccidens est non ens, seu ens solo nomine.

Ideo & non obscurè docet Aristoteles, ens peraccidens esse non ens, lib. 6. Metaph. cap. 2. Dum enim probat, nullam scientiam ejus curam habere, inter cætera ait: *Et hoc ratio-*

tionabiliter contingit: nam quasi nomine solùm ipsum accidens est. Id quod Thomas his declarat verbis in Commentar. ad istum locum: *Scientia non speculatur de ente peraccidens, quia scientia speculatur de his, quæ sunt entia secundum rem: ens autem secundum accidens est ens quasi solo nomine, in quantum unum de alio prædicatur. Sic enim unumquodq; est ens, in quantum unum est. Ex duobus autem, quorum unum accidit alteri, non fit unum, nisi secundum nomen, prout scilicet unum de altero prædicatur, ut cum Musicum dicitur esse album & è converso: non autem ita, quod aliqua res una constituatur ex albedine & Musico.* Postea addit Aristoteles: *Videtur enim accidens propinquum quiddam esse non enti. Quod & manifestum est ex his rationibus: Eorum enim, quæ alio modo sunt, est generatio & corruptio, eorum autem, quæ peraccidens sunt, non est.* Ad quæ verba Thomas iterum sic commentatur: *Probat idem per rationem, dicens, quod etiam ex his rationibus, quibus utuntur Sophistæ, palam est, quod ens peraccidens est propinquum non enti. Nam eorum, quæ sunt entia alio modo, quam accidens, est generatio & corruptio: sed entis peraccidens non est, neq; generatio, neq; corruptio. Musicum enim unâ generatione fit, & Grammaticum aliâ. Non est autem una generatio Grammatici Musici, sicut animalis bipedis, vel sicut hominis risibilis. Unde patet quod ens peraccidens non verè dicitur ens.*

Quædam entia peraccidēs aliquo respectu sunt entia per se, seu id, quod per se dicitur, includunt.

Cæterùm hic notandum est, quod quædam dicantur entia vel esse peraccidens ratione causæ, quæ tamen aliquo respectu sunt entia per se, nempe ratione subjecti suscipientis in se immediatè denominationem aliquam, v. g. Sphæræ moventur in cœlo motu primô peraccidens, quando nempe cum primo mobili circumaguntur: Quæ enim insunt moventibus vel iis, quæ moventur, moventur peraccidens, lib. 8. Phys. cap. 4. t. 27. & cap. 6. t. 51. Neq; enim causa mo-

 vens

vens per se ea attingit, sed totum mobile movet per se, quod ea, quæ insunt, seu sphæras eas secum trahit: Attamen hæc sunt in rebus mobilibus, & motus, etiam cum in alio moventur, ea intrinsecè denominat, dum locum mutant. Ideo quæ sic moventur, non sunt entia merè peraccidens. Unde Thomas ait in Comment. ad lib. 8. Phys. lect. 7. *Accipit hîc peraccidens largè, secundum quod comprehendit sub se etiam quod est secundum partem.* Pariter forma non generatur nec corrumpitur per se, sed per accidens lib. 7. Metaph. cap. 8. lib. 12. cap. 3. nempe quia totum tantùm generatur & corrumpitur per se: Interim formæ plantarum & animæ brutorum sunt ex rebus materialibus & corruptibilibus, & hactenus per se istam denominationem suscipiunt. Nam & quod immediatè suscipit, de eo id quod suscipitur, per se dicitur, ut albedo de superficie lib. 5. Metaph. cap. 18. At anima hominis cum immortalis sit, generari & corrumpi dicitur planè peraccidens, quia de generatione & corruptione nihil in se suscipit.

Quanta quædam peraccidens dicũtur, ut tamen de eo, quod per se dicitur, aliquid includant.

Sic quanta quædam peraccidens dicuntur, ob nudam conjunctionem cum rebus quantis, alia ipsum quantum essentialiter includunt, ut motus & tempus, de quibus dicit Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 13. *Hæc quanta quædam & continua dicuntur, eò, quod illa divisibilia sunt, quorum hæc sunt passiones*, id est propria harum passionũ subjecta, ut una cum his & illæ dividãtur. Ad quæ verba sic scribit Thomas Lect. 15. *Distinguit modos quantitatis peraccidens, quorum unus est, secundum quod aliqua dicuntur quanta peraccidens ex hoc solo, quod sunt accidentia alicujus quanti, sicut album & Musicum per hoc, quod sunt accidentia alicujus subjecti, quod est quantum. Alio modo dicuntur aliqua quanta peraccidens, non ratione subjecti, in quo sunt, sed eò, quod dividuntur secundum quantitatem, ad divisionem alicujus quantitatis, sicut motus & tempus,*

quæ

quæ dicuntur quædam quanta & continua propterea, quod ea, quorum sunt, sunt divisibilia, & ipsa dividuntur ad divisionem eorum. Tempus enim est divisibile & continuũ propter motum, motus autem propter magnitudinem, non quidem propter magnitudinem ejus, quod movetur, sed propter magnitudinem ejus, in quo aliquid movetur: ex eo enim, quod illa magnitudo est quanta, & motus est quantus, & propter hoc, quod motus est quantus, sequitur tempus esse quantum. Unde hæc non solùm peraccidens quantitates dici possunt, sed magis per posterius, in quantum quantitatis divisionem ab aliquo priori sortiuntur. Vnde & in sequentibus observat, quod Philosophus in prædicamentis ponat tempus quantitatem per se.

Pariter sic distinguit Aristoteles inter ea, quæ per se expetuntur, & quæ peraccidens, cum tamen ea, quæ peraccidens expetuntur, in numero bonorum sint, & proinde suo modo & per se expetantur, lib. 3. Topic. cap. 1. in principio. Verba ejus sunt: *Anteponuntur etiam quæ propter se expetunur iis, quæ propter aliud, ut valetudo exercitationi, quoniam illa propter se expetenda, hæc propter aliud; & quæ per se iis, quæ peraccidens, ut amicorum justitia hostium justitiæ, quod illa per se expetenda est, hæc peraccidens: Hostes enim justos esse peraccidens optamus, ne nobis noceant. Est autem hoc idem cum priori, ab eoq́; nisi modo non differt.* Hîc media ad finem ordinata dicit peraccidens expeti, quatenus nempe non in se sed ob aliud expetuntur: neq; enim expetuntur ut finis; attamen sunt in genere bonorum & consequenter per se expetibilium. Audiemus Alexandrum Aphrodisensem, nobilissimũ inter Græcos commentatores, qui in h. l. sic scribit: *Est per se eligibile, quod per propriam naturam & præsentiam est eligibile, sed peraccidens, cui velut non existenti propriâ naturâ eligibili, accidit ob aliquam circumstantiam esse eligibile —— Nam illud*

Quædam per se expetuntur, quædam propter aliud & peraccidens.

Alexander Aphrodis. de eo, quod expetitur per se & peraccidens.

amicos justos esse per se eligibile est, non enim propter nos, neq; ut aliquid nobis ex hoc adveniat, ipsum eligimus, sed quod amicitia est voluntas bonorum, illius gratia expetimus bona amicis inesse; bonum quoque est justitia habenti: Sed illud, inimicos justos esse, eligibile nobis est, non propter se amplius, non enim proprium inimicitiæ est voluntas bonorum, ut illorum gratiâ hoc eligamus, alioquin idem essent inimicitia & amicitia, sed hoc non propter se, sed per accidens eligimus, nam quia accidit justis non inferre injuriam, ut non afficiant nos injuriâ inimici, eligimus ipsos esse justos —— *Propter se est idem cum hoc per se, & hoc per aliud cum eo, quod est per accidens, nam hoc amicos justos esse, & propter se & per se eligibile est, ut etiam sanitas; illud verò inimicos esse justos, per accidens, nam accidit eis factis justis non nocere alicui; ac idem est per aliud.* Postea docet, quod interdum differentia sit inter id, quod expetitur propter aliud, & quod expetitur per accidens, scilicet quia interdum, quod propter aliud expetitur & suo modo per se expetitur: *Igitur*, inquit, *erit omne eligibile per accidens omnino per aliud eligibile, sed illud per aliud eligibile, non prorsus erit & per accidens; nam plura ob alia eligibilia sunt, cum sint suapte naturâ bona, sed sola per accidens, quæ propter aliquid accidens ipsis habent eligibile: Sic enim eligibilis fit aliquando paupertas & morbus & mors.* Ecce illud est planè per accidens, quod nullo modo in se est; quod autem propter aliud est, interdum in se est, ut media expetuntur propter finem: neq; enim finis tantùm bonus est, sed & media ad finem ducentia.

Ex iis, quæ dicuntur per accidens quædā sunt propinquiora iis, quæ

Porro quod quædam ex iis, quæ dicuntur per accidens, sint propinquiora iis, quæ dicuntur per se, quædam remotiora ab his, docet Aristoteles lib. 1. Poster. cap. 16. dum ait: *In unoquoq; genere reperitur, quod alii attribuitur non per accidens.*

dens. Dico autem per accidens, veluti album illud interdum dicimus esse hominem, cum non similiter dicamus etiam, hominem esse album: Hic enim, cum non sit aliud quiddam, est albus: album autem dicitur homo, quia accidit homini, ut sit albus. Idq; prolixius explicat & diducit in sequentibus cap. 19. Nos videbimus, quid Thomas scribat in h. l. Lect. 13. sic ait: *Dupliciter aliquid prædicatur secundum accidens: Uno modo, quando subjectum prædicatur de accidente, puta cum dicimus album est homo: alio modo dissimiliter, quando accidens prædicatur de subjecto, sicut cum dicitur homo est albus. Et differt hic modus à primo, quoniam hîc, quando accidens prædicatur de subjecto, dicitur, homo est albus, non quia aliquid alterum sit album, sed quia ipse homo est albus, & tamen est propositio per accidens, quia albũ non convenit homini secundum propriam rationem. Neq; enim ponitur in definitione ejus, neq; è converso. Sed quando dicitur, album est homo, non dicitur, quia esse hominem insit albo, sed quia esse hominem inest subjecto albi, cui scilicet accidit esse album. Unde hic modus est magis remotus â prædicatione per se, quam primus.*

dicuntur per se, quædam remotiora ab iisdem.

Adhuc aliud exemplum dabimus, quod & proximè accedit ad causam per se & per accidẽs, vel etiam eam includit: In Ethicis justè vel injustè dicitur agere, qui agit id, quod legibus consentaneum vel adversum est, sciens & volens; sed si inscius vel coactus agat, non agit justè vel injustè, nisi per accidens, ob aliud, nempè ob conformitatem cum lege, vel difformitatem, quæ spectatur in actione sine relatione ad personam agentem. Quod enim justè vel injustè non agat, inde constat, quia ex intentione & fine æstimantur actiones: intentionem autem justè agendi non habet, qui inscius & coactus agit. Attamen actio illa quadantenus convenit cum lege vel ab ea dissentit, & sic in ea spectatur, quod in actione

Justè & injustè quis agere dicitur per se & per accidens.

justa,

justa, idq; de ea non dicitur planè peraccidens. Audiemus Aristotelem, qui lib. 5. Ethic. cap. 10. hunc in modum loquitur: *Cum justa & injusta ea sint, quæ sunt à nobis exposita, tum & facit quisq; injustè & justè agit, cum ea sponte sua agit. Cum verò invitus, neq; injustè facit, neq; justè agit, nisi peraccidens: Ea enim agit, quibus accidit, ut justa vel injusta sint. At injustè factum justaq; actio spontaneo & invito determinatur. Nam cum quid sponte fit, tum & vituperatur & simul injustè factum est. Erit ergo aliquid injustum, quod nondum erit injustè factum, nisi eò accesserit, ut spnotè factum sit. Sponte autē fieri dico, quemadmodum & supra à nobis dictum est, id, quod quis in sua potestate positum facit sciens, neq; eum quem injuria afficit ignorans, neq; quo quasi instrumento, neq; cujus rei gratiâ: verbi causa, quem verberet, quare verberet, cujus deniq; rei causâ verberet: atq; illorum unumquodq; fiat neq; peraccidens, neq; vi: veluti si quis alicujus manu apprehensa alterum verberet: at sponte non verberavit is, cujus est manus; non enim in eo situm fuit. Contingere autem potest, ut pater sit is, qui pulsatur: is qui pulsat verò, illum esse hominem duntaxat, aut eorum aliquem, qui adsunt, sciat, patrem esse nesciat —— in rebus justis autem aquè atq; in injustis illud peraccidens locum habet. Nam si quis depositum reddiderit invitus & metu coactus, is neq; justa facere neq; justè agere, δικαιοπράττειν οὔτε δικαιοπραγῶν dicendus est, nisi peraccidens: itemq; qui necessitate coactus & invitus depositum non reddit, is peraccidens injuriam facere resq; injustas agere dicendus est.* Qui cognoscit hominem & nescit esse patrem, peraccidens cognoscit patrem esse, hoc est non cognoscit, sed id cognoscit, cui accidit esse patrem: ideo percutiens patrem, eum injuriâ afficit peraccidens, hoc est, non afficit, quia intentio defuit, licet fecerit id, quod & in injuria spectari solet. Thomas in Comment. super hæc verba lect. 13. sic scribit: *Quando aliquis operatur ipsa nolens, non est ibi facere injustum vel operari injustum,*

Cognoscere peraccidens est non cognoscere.

injustum, nisi fortè peraccidens, in quantum scilicet accidit præter intentionem operantis, quod illa, quæ quis fecit, sint justa vel injusta. Illa enim dicimur per se facere & non peraccidens, quæ intendimus facere. Nihil autem specificatur per illud, quod est peraccidens, sed solùm per illud, quod est per se, & ideo justificatio & dicapragma, id est operatio justa & similiter injustificatio determinantur per voluntarium & involuntarium —— Unde manifestum est, quod erit ex parte ipsius operati quid injustum, sed non erit injustificatio, quantum ad speciem operationis, si non sit voluntarium ex parte operantis. Et in sequentibus: *Exponit autem consequenter, quomodo cognoscatur aliquid secundum accidens. Contingit enim, quod ille, qui est percussus ab aliquo, sit pater ejus. Ille autem, qui percutit, cognoscit quidem, quod percussus est homo, vel aliquis de præsentibus, sed ignorat, quod ipse sit pater suus, & sic* cognovit patrem *peraccidens, in quantum cognoscit eum, cui accidit esse patrem.* Si quis malit Græcum, adducemus Michaelem Ephesium, qui comment. in hunc locū ita scribit: *Eorum, qui justa & injusta agunt, quidā justum agunt & injustum* κυρίως *propriè, quidam autem non propriè, sed peraccidens. Quotquot voluntariè justa agunt, propriè justa agunt; quotquot autem involuntariè, non propriè, ut alia species justæ actionis sit voluntariè & ex prælectione aliquem agere; & alia involuntariè. Similiter & in factis injustis —— Dicit, quod, cum quis voluntariè agit injusta vel justa, propriè injuriâ afficit & propriè justè agit. Si autem per metum vel judiciorum vel principis justa faciat, veluti depositum reddat, justum quidem fecit, justè autem egit peraccidens, eò, quod justum sit, quod fecit; sed &, si jubente principe, ne det, depositum non dederit, injustum quidem egit, sed* ἀδίκημα *injustè factum non est. Voluntariô enim, ut dictum, & involuntariô judicantur injustè & ju-*

Michael Ephesius in comment. h. l.

Quod peraccidés, idem impropriè dicitur.

stè facta. Et in sequentibus: *Quod ergo non sit per violentiam, huic accommodat; quod autem non per accidens, cognitioni singularium. Per accidens autem cognoverit quis illa, quorum ignorantia involuntarium fecerit factum, sicut ipse monstrat. Qui enim patrem percutit in pugna nocturna, & novit quidem, quod hominem percutiat, nesciat autem, quod, quem verberat, pater suus sit, per accidens egerit circa patrem: ad hominem enim fuerit ea actio per se, ad patrem autem per accidens, ut adeo & involuntaria ad patrem sit injuria filii. Sed & qui elleborum novit, quod aliquid sit, nescit verò virtutem ejus, quod expurget, & præsumat, quod somnum excitet, & det tanquā remedium somnum efficiens, talis per accidens cognoverit id, cujus gratiâ. Sed &, qui novit jaculum, quod abstulit, jaculum esse, nesciens, quod acutum sit, & ipse per accidens novit. Quare non est voluntaria actio, in qua singularia, in quibus actio fit, per accidens cognoscuntur: Quorum enim cognitio per se voluntariam actionem fecit, ea si per accidens cognoscantur, non voluntariam actionem & factum non voluntarium faciunt.* Et postea: *Dicit, quod in justis & injustis sit quoq; secundum accidens: Qui enim eorum, quæ justa sunt, facit aliquid involuntariè & per metum, per accidens justè facit; quia quibus accidit justis esse, ea facit, non quidem simpliciter neq; propriè* κυρίως, *quia non voluntariè, sed per metum facit. Sed & qui invitus quid facit, veluti necessitate adigitur ad non reddendum depositum, per accidens injustè agit: Quia accidit ei, quod ab illo factum est, injusto esse, non autem simpliciter. Simpliciter enim injustè agere erat voluntariè ea agere.* In universum, quod per se est, id non est per aliud seu secundum aliud, quà tale; & quod per accidens est, per aliud seu secundum aliud est, hoc est ipsum non est, sed secundum aliud adjunctum tale esse dicitur. Interdum tamen id, quod per se est, & quod per accidens

cidens eſt, arctè copulatur, ut id, quod peraccidens eſſe dicitur, & aliquo modo dicatur per ſe, & vice verſa.

Ex his jam iterum manifeſtum eſt, quod cauſa peraccidens non ſit cauſa: Quemadmodum enim ſolum ens per ſe verè eſt, ens autem peraccidens ὀνόματι μόνον ſolo nomine eſt, ut loquitur Philoſophus; ita & cauſa per ſe tantùm verè cauſa eſt, cauſa autem peraccidens ſolo nomine. Unde & in loco ſupra citato lib. 6. Metaph. cap. 2. iterum omnem ei cauſalitatem adimit, dum ait: *Nulli ſcientiæ curæ eſt illud* (ens peraccidens) *neq; activæ, neq; factivæ, neq; ſpeculativæ: Nec enim qui facit domum, facit ſimul quæ accidunt domui factæ: infinita namq; ſunt: Quibusdam enim delectabilem, quibusdam noxiam, quibusdam utilem nihil prohibet factam eſſe, & reſpectu aliorum omnium entium aliam; quorum nullius factiva eſt ædificativa.* Quid ſodes clarius dici poteſt, quàm quod cauſa peraccidens non faciat accidens, cujus reſpectu dicitur cauſa peraccidens. Architectus facit domum & reſpectu eorum, quæ accidunt domui, dicitur cauſa peraccidens; at ea non facit, ut diſertè dicit Ariſtoteles, ergo cauſa peraccidens, quà talis, nullam habet cauſalitatem, & proinde nec eſt cauſa, ſed ſolo nomine ob accidentalem, quam vidimus, conjunctionem ſic dicitur. Verba Thomæ & hîc citabimus ex ejus Commentario melioris evidentiæ causà: *Hoc manifeſtat*, inquit, *primò in Practicis ſcientiis, quia iſte, qui facit domum, ſi facit eam, non facit ea, quæ inſunt domui factæ, niſi peraccidens, cum illa ſint infinita, & ſic non poſſunt cadere ſub arte: nihil enim prohibet domum factam eſſe iſtis voluptuoſam, id eſt, delectabilem, illis ſcilicet, qui in ea proſperè vivuvt: aliis autem nocivam, qui ſcilicet occaſione domus aliquod detrimentum incurrunt; & aliis utilem, qui in domo aliquod emolumentum conquirunt, & etiam eſſe alte-*

Ut ens peraccidens nomine ſolùm ens eſt: ſic & cauſa peraccidẽs.

Thomas.

ram & dißimilem omnibus entibus. Nullius autem eorum, quæ peraccidens insunt domui factiva est ars ædificatoria, sed solùm est factiva domus & quæ per se insunt domui. Sed ars ædificatoria dicitur causa peraccidens respectu eorum, quæ accidunt domui, ergo causa peraccidens, non facit id, cujus respectu causa dicitur, & proinde non est causa.

Etiam recentiores doctores causas peraccidens à veris & propriè dictis causis separāt.

Hoc probè observantes sequiorum temporum doctores, qui in excolenda Philosophia aliquod operæ pretium fecerunt, semper & à veris causis causas peraccidens sequestrarunt. Franciscus Suarez Disput. 37. Metaph. Sect. 2. n.2. *Causa peraccidens,* inquit, *cum non sit vera causa, sed per quandam habitudinem vel similitudinem aut conjunctionem cum causa sic appelletur, non potest commodè una communi descriptione definiri, sed variis modis dicitur.* Hinc & definitionem hanc dat causæ propriè sic dictæ Disput. 12. Metaph. s.2. n.4. *Causa est id, à quo aliquid per se pendet.* Item: *Causa est principium per se influens esse in aliud.* Quod si autem omnis propriè dicta causa illud, per se, includit, quomodo causa peraccidēs propriè causa erit? Conimbricēses lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 1. art. 1. *Ex omnibus,* inquiunt, *definitionibus illa nobis magis arridet: causa est id, à quo aliquid per se pendet.—— Illud autem adjicimus, particulam per se poni ad removendas causas peraccidens, ut Musicum respectu ædificii.* Pererius lib. 8. Phys. cap. 1. hanc dat definitionem: *Causa est, quæ in suo genere per se & principaliter concurrit ad constituendum effectū.* Mendoza Disput. 8. Phys. Sect. 1. §. 2. approbat posteriorem definitionem Suarezii, *causa est principium per se influens esse in aliud,* & addit in ejus explicatione: *Per se excludit causas peraccidens.* Idem vidit Philippus Melanchthon communis Ecclesiarum nostrarum præceptor, dum scribit lib. 2. Phys. *Aliæ sunt causæ per se, aliæ peraccidens. Hæc prima distributio non est membrorum æqualium: Nam causa peracci-*

dens

dens reipsa non est causa; sed sic propter quandam vicinitatem appellatur. Causa per se est propriè causa. Molestum est plura testimonia adducere: Sunt enim in libellis Metaphysicis vulgo prostantibus passim obvia.

Cæterùm, quod notavimus de ente peraccidens, idem & de causa peraccidens diligenter observandum est, nempe unam propius ad causam per se accedere, quàm alteram, sicut & effectus peraccidens unus propinquior est effectui per se, quàm alter: Id quod jam supra attigimus ex Aristotele, nunc autem pluribus explicandum est. Lib. 2. Physf. cap. 5. cum dixisset, quod fortuna simpliciter nullius rei causa sit, & quod παράλογος præter rationem sit, & quod indefinita sit, subjicit: *Veruntamen de quibusdam aliquis dubitare possit, an quævis fortuitæ causæ sint fortunæ, veluti an valetudinis causa sit aut ventus, aut æstus, aut detonsum esse: Nam causarum peraccidens aliæ sunt aliis propinquiores.* Audiemus interpretem Themistium, qui in commentario suo ad h. l. sic scribit: *Sed cum fortuna sit causa peraccidens, in iis autem quædam sint propinquiores, quædam remotiores: propinquior siquidem causa statuæ est Polycletus, remotior homo; sic etiam fit in causis à fortuna, veluti sanitatis causa fit ægroto vel ventus vel æstus vel tonderi & abradi caput, qui nihil sanitatis causa, sed vel agendi, vel videndi aliquem, vel comam deponendi gratiâ operabatur: Et propterea propinquior sanitati est ventus, quàm tonderi. Cum ergo causas peraccidens sibi invicem opponimus, possunt inveniri propinquiores & remotiores: Cum autem simpliciter quærimus, quæ causa fiat à fortuna, non licet definitè dicere, hoc est: Infinitæ enim & indeterminatæ accipi possunt.* Themistius.

Johannes Philoponus in Comment. hujus loci hæc habet verba: *Quoad id, quod à fortuna est, nihil refert propinquius dicere vel remotius: Similiter enim omnia ista secundum fortunam causæ sunt, sed quoad eventum refert plurimum: Magis enim* Philoponus.

enim causa eventus est, quod propinquius est: Nam acceptionis pecuniæ est & progressus talis causa peraccidens: Si enim non progressus fuisset, nec etiam incidisset in alterum & pecuniam accepisset. Sed magis causa est in medio offensio amici: Si enim eum non offendisset, celeriter abiens, non invenisset. Et horum adhuc magis causa est in forum adventus. Et postea, cum alterum exemplum de vento, calore & tonsione explicâsset, subjicit: *Est igitur propinquior sanitati calor solis, non tonsio, ut ita quoad eventum propinquius* αἰτιώτερον *magis causa sit, sed simpliciter quoad fortunam nihil intersit propinquum vel remotum dicere.*

Thomas. Thomas in Commentario hanc dat declarationem: *Causæ peraccidens possunt dici omnia illa, quibus contingentibus contingit fieri sanitatem, sicut est Spiritus, id est ventus, & æstus & abrasio capitis, nunquid igitur quodlibet istorum est causa peraccidens? Sed quia supra diximus, quod fortuna maximè dicitur causa ex parte effectus, prout scilicet aliquid dicitur esse causa ejus, quod accidit effectui; manifestum est, quod causa fortuita operatur aliquid ad effectum fortuitum, licet non intendat illud, sed aliquid aliud effectui conjunctum. Et secundum hoc ventus & æstus possunt dici causæ fortuitæ sanitatis, in quantum faciunt aliquam alterationem in corpore, ad quam sequitur sanitas. Sed depilatio aut aliquid aliud hujusmodi non facit manifestè aliquid ad sanitatem. Sed tamen inter causas peraccidens sunt aliquæ propinquiores & aliquæ remotiores. Illæ autem, quæ sunt remotæ, minus videntur esse causæ.* Ex quibus manifestum est, quod quædam causæ peraccidens jam accedant ad rationem causæ, quæ scilicet effectui sunt propinquiores & jam operationem quandam in effectum includunt, quanquam id in ipsis non spectatur, ut sunt causæ peraccidens, sed ut ab his recedunt ad causas per se seu aliquid de causis per se includunt.

Percurremus exempla causarum peraccidens supra explicata: Statuarius est causa statuæ per se, peraccidens albus, & Musicus, & Polycletus, quia accidit statuario Polycleto, & Musico & albo esse: Neq; enim ex eo, quod Polycletus aut Musicus aut albus est, sequitur, quod statuarius sit. Interim à Polycleto, qui per se homo est motus vitalis rationalis & operatio in hoc lignum vel æs per se est, quæ per artem statuariam determinatur ad fabricandam statuam: Hæc in formatione statuæ includitur, ut adeo non omne, quod in formatione statuæ spectatur, à Polycleto fit peraccidens. At Musicus accidens est, non substantia, & licet requirat subjectum vivens rationale, in quo sit, cui proinde motus & operatio in hoc lignum competere possit, tamen non necessariò est in Polycleto, nec Polycletus tale quid necessariò includit: Unde jam Musicus respectu statuæ minus habet illud per se. At albus remotissimum accidens est, cum ne quidem subjectum vivens necessariò requirat, in quo sit, siquidem & paries & lapis albus est; ideo multò minus illud per se ipsi tribuitur respectu statuæ, ex sola suppositione scilicet, posito, quod albedo sit in subjecto vivente rationali. Hoc ita in causis spectatur, quæ ratione causæ tales dicuntur, in quibus accidentia, quæ causæ apponuntur, non solùm ut causæ considerantur, sed & ut accidentia, quæ insint subjecto, quod operatur. Ideo quævis causa peraccidens respectu causæ, aliquid quod per se attingit effectum includit seu cum eo arctè copulatur, ita ut nominatâ verâ causâ, nominetur simul subjectum accidentis; & vicissim nominato accidente nominetur simul subjectum, quod causa per se est effectus. Id quod quidam non observantes, & id omne, quo cum copulatur causa peraccidens, ipsi causæ peraccidens acceptum referentes, ex ea propriè dictam causam faciunt, adeoq; causam per se & peraccidens con-

Causæ peraccidens ratione causæ non sunt propriè dictæ causæ.

confundunt. Sed hæ causæ à proposito nostro sunt alienæ, nec veniunt in quæstionem, cum de dictorum supra citatorum interpretatione agitur: quod probè observandum est.

Impedimentum seu prohibens & removens prohibés non sunt propriè dictæ causæ.

In causis peraccidens, respectu effecti quæ sic dicuntur & in proposita materia tantum attenduntur, idem planius est: Qui removet prohibens non est causa ejus, quod sequitur, ut qui lapidem removet ab utre in aqua, causa non est, quod natet, cum à primùm generante & interna sua levitate habeat, quod natet; & qui subtrahit lapidi columnã, causa non est, quod lapis decidat: Id enim habet à generante & interna sua gravitate: Si pater auxilium subtrahat immorigero filio, non est causa incommodorum, quæ patitur filius; si Magistratus indigno civi beneficia subtrahat, non est causa malorum & ærumnarum, quibus consequenter hic subjicitur. Pariter, quod spectat impedimenta, pila ad parietem projecta, reflectitur non à pariete, qui ipsi nullum impetum imprimit aut motum dat, sed à projiciente, & tamen paries est causa reflexionis pilæ peraccidens. Qui præterit domum, impeditur lapide angulari, offendit in eum, & cadit, hujus casus causa peraccidens lapis est, sed tamen non fecit propriè, ut ille laberetur, verùm ipsius incuria & in lapidem pedis impactio causa est per se.

Interdum prohibens & removens prohibens arctè copulatur cum eo quod per se causa est.

Interdum tamen & in his accidit, ut quod causa peraccidens dicitur, copuletur cum eo, quod non peraccidens, sed per se dicitur, ut qui columnam subtrahit lapidi imposito, ut plurimùm lapidi simul impetum quendam imprimit, ut non solùm motu naturali descendat, sed & ulterius projiciatur, hac ratione movens columnam simul movet lapidem per se, dum eundem impetum columnæ & lapidi imprimit, ad istum modum, quo causa principalis instrumentum movet & cum eo ad unum effectum concurrit: Qui enim impulsu quodam lapidem movet, columnâ quasi instru-

instrumento utitur ad projiciendum lapidem, veluti si quis fundâ eum projiciat. Pariter qui lapidem aufert ab utre in aqua detento, ut plurimum & ipsum utrem impellit, ut obliquè sursum moveatur, cujus obliqui motus is, qui removet lapidem, simul est causa per se. Sed fieri potest, ut quis moli impositæ simpliciter subtrahat columnam sine ulla concussione & impetus impressione, & sic erit tantùm causa peraccidens, non simul causa per se; & ab utre quis auferre lapidem potest sine ullo impulsu, ut rectà sursum feratur, & sic erit tantùm causa peraccidens, id est, non causa: non enim movet utrem, sed ille proprià suâ levitate sursum fertur. Sic potest aliquis, dum impedit aliquid, simul in contrarium agere & erit simul causa per se ejus, quod sequitur, ut si pilam ab alio emissam vi repercutiat seu novo impresso impetu repellat: Sed & sine omni actione obsistere potest, & sic erit tantùm causa peraccidens. Verùm licet nulla actio Physica per se hìc concurrat cum eo, quod dicitur causa peraccidens, moralis tamen obligatio iterum aliquid de causa per se inducit, si scilicet is, qui removet prohibens, sit obligatus in genere morum ad non prohibendum, ut, si pater filio morigero & nihil mali merito subtrahat necessaria vitæ media, omnino, licet non Physicè, tamen moraliter causa per se interitus filii æstimatur: Et si quis de industria obsistat, ne ulterius pila projiciatur, cum obligatus sit liberum ipsi cursum permittere; vel si quis ambulanti pedem vel truncum objiciat, ut cadat. Sic utrumq;, & prohibens & removens prohibens, causa per se fit in Philosophia Morali ob adjunctam obligationem, cum aliàs tantùm sit causa peraccidens. Item si quis removens impedimentum, intendat id, quod sequitur remotionem talem, est causa moralis: Nam in Philosophia Morali actiones finibus & intentione æstimantur, ut hæc

Interdum prohibens & removens prohibens est causa moralis, cui jure imputari possit effectus.

vel illa dicatur alicujus actio, quia intendit illam; itemque bona vel mala, prout intendit bonum vel malum, veluti si pater immorigerum filium deserat ea intentione, ut intereat, cum potius ejus correctionem quærere teneretur. Et qui sunt alii modi causarum Moralium, qui hîc attendi possunt, ratione istius, quam dixi, obligationis sive ad agendum, sive ad omittendum. Igitur nec impedimentum nec removens impedimentum, quà tale, verè & propriè causa est seu ullam causalitatem exercet; ratione autem adjunctorum, vel eorum, quæ cum iis interdum copulantur, inferunt nonnunquam aliquid de causa per se, sed ejusmodi operationes per se sunt distinguendæ à causa peraccidens, quippe in cujus formali ratione non includuntur.

Casus & fortuna non sunt causæ propriè dictæ.

Deinde in casu & fortuna idem apparet: Nam si quis fodiens agrum præter intentionem thesaurum inveniat, non est causa inventionis thesauri, quia eam non intendit, sed tantùm agrum fodere plantandi gratiâ sibi proposuit. Interim apertio loci istius ab ipso per se est, quam & inventio thesauri includit: Neq; enim thesaurus inventus fuisset, nisi terra fuisset effossa. Unde dicunt interpretes, ut vidimus supra ex Themistio, quod in cæteris causis peraccidens id, quod accidit causæ per se, statim sit causa peraccidens, & quod accidit effectui per se, sit effectus peraccidens; sed in fortuna & casu una sit causa, quæ dicatur per se & peraccidens: Qui enim fodit agrum plantandi gratiâ, non intendit invenire thesaurum, & ita hic finis est peraccidens, faciens causam peraccidens, quæ dicitur fortuna. Ideo hîc iterum causa per se & peraccidens arctè copulantur, nec omne id, quod spectatur in inventione thesauri, est à fossore peraccidens. Sic si quis findens ligna, fortè fortuna sibi pedem vulneret, istius vulnerationis causa peraccideus est, quia non intendit vulnerationem: Motus securis ab ipso

Sed tn. & ipsa aliquid de eo quod dicitur per se includunt.

per se erat, tanquam à fissore lignorum, quem motum vulneratio pedis includit: Una n. actio est fissio lignorum & fissio pedis, sed prior fissio est finis intentus, posterior est finis non intentus, adeoq; finis per accidens, id est, non finis, respectu cujus & fissor dicitur causa per accidens, id est non causa. Deinde in fortuna & casu spectatur effectus improvisus & antè incognitus: circa idem n. intellectus & fortuna versatur, lib. 2. Phys. cap. 5. t. 52. ut adeo, ubi deficit intellectus, ibi fortuna locum habeat. *Licet tantùm agant à fortuna, quæ habent intellectum: tamen quantò aliquid magis subjacet intellectui, tantò minus subjacet fortunæ*, ait Thomas Lect. 8. super loc. cit. ut qui fodit plantandi gratiâ, si noverit, ibi thesaurum esse absconditum & eum se inventurum, jam inventio thesauri ipsi non fuerit fortuita. Et si paterfamilias emittat duos servos, qui in platea una sibi invicem obviam ituri sint, iste processus obvius, quia præscitur à patrefamilias, ipsi non est fortuitus, sed servis, qui illum nesciebant, est fortuitus. Igitur & fortuna ignorantiam infert in eo, respectu cujus aliquid casuale & fortuitum dicitur. Unde &, *ubi mens plurima, ibi fortunæ minimum*, ut dicitur lib. 2. Magn. Moral. cap. 8. Deniq; & fortuna causa moralis fieri potest, ut ipsi de jure imputetur effectus fortuitus, veluti si quis terram fodiens plantandi gratiâ & fortè fortuna hastile defigens in radicem alicujus plantæ, eam ejiciat, hujus sanè perditionis est causa fortuita, sed simul causa moralis, quia minus circumspectè egit, ut ipsi imputari possit effectus. Pariter, si quis ligna findens sibi pedem vulneret, est quidem causa per accidens fortuita vulneris, sed simul causa moralis, & jure reprehenditur.

In fortuna & casu ignorantia & imprudentia locum habet.

Fortuna & causa moralis fieri potest quodam respectu.

Ad extremum in exemplis ultimis ab Aristotele adductis, ubi tantùm accidentalis quædam conjunctio in uno loco & tempore spectatur, ut si ambulante aliquo fulserit,

Quæ ob conjunctionē in uno salté loco aut tépore sunt causæ perac-

 vel

cidens nullo respectu sunt causæ propriè dictæ.

vel terræ motus contingat, vel aliquo domum intrante paterfamilias aut ejus liberi aliquid adversi patiantur, tantùm illud peraccidens locum habet, non copulatio simul necessaria cum eo, quod dicitur per se. Ideo nec ullo respectu talis causa peraccidens, vel causam per se, vel aliquam imperfectionem simul infert.

Patet igitur, quod causa per se tantùm sit causa, causa autem peraccidens, quà talis, non sit causa, sed tantùm ob similitudinem & apparentiam quandam sic dicatur. At, inquiat aliquis, nonne materia peraccidẽs est verè materia, ut lapis in mensa, argentum in poculo, sericum in veste? nonne forma peraccidens verè est forma, ut rotunditas in mensa, quadrata figura in speculo? Ergo quædam causa peraccidens verè causa est. Respondeo: Longè alia est ratio formæ & materiæ, quàm cæterarum causarum, efficientis & finis, quia illæ internæ sunt, hæ externæ. Interna causa non tantum ut causa consideratur, sed & ut subjectũ sustentans tale accidens, vel accidens existens in tali subjecto, ut mensa dicitur lapidea, non tam quia lapis est materia mensæ, sed quia est subjectum hujus accidentis, nempe figuræ mensæ. Et rotunditas non solùm ut forma consideratur, sed vel maximè ut accidens hujus subjecti. Tale quid autem ad causas externas, efficientem & finalẽ non requiritur. In causis internis idem dicitur causa & est ens peraccidens per inexistentiam realem; at in externis aliud dicitur causa peraccidens, aliud a. est ens peraccidens. In causis internis idẽ est causa peraccidens respectu causæ & effectus; in externis non item. Deinde quæstio de causis internis, materia & forma prorsus est à proposito aliena, quippe quæ in explicatione dictorũ scripturæ citatorũ locũ nõ habet. Unde non necesse est, ut de iis multùm soliciti simus. Interim & hoc certum est, quod lapis, quatenus est materia peraccidens, non sit materia. Dicitur enim materia, quia accidit sub-

Diversa est ratio causarum internarum & externarum, cum dicuntur causæ peraccidens.

jecto suscipienti formam mensæ, sed non omne, quod est in lapide accidit subjecto tali, cum ejusmodi subjectum per se includat: accidit autem talis color, tanta duritia, frigiditas atque adeo ipsa substantialis forma lapidis: Ergo horum respectu dicitur materia peraccidés, & tale quid etiam non est materia. Similiter forma peraccidens, quà talis, non est forma: Dicitur enim forma peraccidens, quia accidit ei, quod est forma per se: Forma autem per se mensæ est figura: Impossibile enim est, mensam esse sine figura: Accidit autem figuræ determinatio rotunditatis: Ergo hujus respectu dicitur forma peraccidens, id est, non forma: Nam determinatio talis non exercet causalitatem formæ seu non dat esse mensæ, sed figura simpliciter, quia verò rotunditas figuram per se includit, non omne, quod in rotunditate spectatur, ad mensam se habet peraccidens. Proinde in causis intrinsecis vel maximè copulatur id, quod dicitur per se & quod dicitur peraccidens, ita ut difficulter discerni queat. Et hoc quibusdam imponit, ut existiment causas peraccidens, quà tales, exercere veram causalitatem, cum quod in ipsis interdum spectatur causalitatis, non ad ipsas quà tales, sed ad causam per se connexam vel arctè cum tali causa peraccidens copulatam pertineat.

Materia peraccidens quà talis non est materia.

Planum igitur est, quod causa peraccidens non sit causa, quatenus quidem peraccidens causa est & dicitur, & proinde quod terminus peraccidens sit alienãs & tollens rationem causæ, ut loquuntur, sicut si homo mortuus, vel pictus, vel sculptus homo dicatur, qui æquivocè homo est, lib. 1. de part. animal. cap. 1. lib. 2. de anima cap. 9. t. 9. Nec miretur quis, si causam peraccidens per non causam exponamus: Id enim requirunt termini alienantes & tollentes, si exponantur, quod iis, qui Logicam didicerunt, manifestum est: Aliud est tale quid in rei veritate, aliud in modo loquen-

Terminus peraccidés est alienans & tollens rationem causæ.

Termini tollentes exponuntur per negationem rei.

loquendi ob apparentiam & existimationem. Sic homo pictus rectè exponitur per non hominem, panis lapideus per non panem, virgo deflorata per non virginem. Itaque denominatio causæ per accidens, quà talis, nihil inconveniens infert, quò minus res optima respectu mali cujusdam causa peraccidens dicatur, ut bonæ leges in repub. sunt causæ peraccidens multorum criminum; at certè nullo modo causæ sunt, sed ita dicuntur ob similitudinem & apparentiam, quæ oritur ex conjunctione accidentali prohibitionis, quæ est effectus per se legis, & criminum, quæ sunt effectus peraccidens, quorumq; causa per se est improbitas civium. Magistratus adimens alicui homini flagitioso beneficia & jura civitatis, est causa peraccidens majorum scelerum, quæ ille committit, hoc est non causa: Propria enim ejus malitia est causa: Magistratus autem causa dicitur ob similitudinem, quæ oritur ex accidentali conjunctione subtractionis beneficiorum, cujus magistratus est causa per se, & scelerum alterius, quæ accidunt subtractioni isti. Sed manendum in generali acceptione causæ peraccidens, nec descendendum ad particularia significata, quæ, ut vidimus, aliunde imperfectionem, vel causalitatem, vel aliud quid inferunt. Causa enim peraccidens, prout hîc à nobis attenditur, nihil aliud est, quàm cujus effectui aliquid accidit, seu cum cujus effectu conjungitur aliquid peraccidens.

Qui terminos non novit distinguere, infeliciter congreditur cum adversario.

Qui hæc didicit & ex Philosophia plenè cognovit, jam facilè cum adversario agere potest, cum contrà horum ignarus vel tacere & causam planè deserere, vel id, quod bonam causam prostituat & prodat, proferre cogatur. Argumentum nostrum, quo Zvinglium & qui eum sequuntur ad absurdum ducebamus, hoc erat: Qui cogit, impellit, movet, inclinat aliquem ad peccatum, est causa propriè dicta peccati.

cati. Sed Deus cogit, impellit, movet inclinat homines ad peccatum. Ergo est causa propriè dicta peccati. Respondent per limitationem: Qui cogit, movet, impellit, inclinat per se ad peccatum, est propriè dicta causa peccati; at sic se negare Minorem, ajunt, cum statuant, Deum cogere, impellere, movere, inclinare ad peccandum tantùm peraccidens; causam autem peraccidens non esse causam. Quid hîc faciendum? quomodo talis data responsio excipienda est? Num novæ vocabulorum significationes fingendæ, & causa peraccidens vera causa dicenda est? At non licet nominum impositorum fines transire, lib. 2. Topic. cap. 1. *Peccatur in disputando, tum falsum dicendo, tum usitatas vocabulorum significationes relinquendo*, ut supra ex Aristotele vidimus. *Quod si est peccatum hoc facere* (nominum usitatas significationes relinquere) *qui ostendit aliquid tale in problemate, erit reprehendendus*, ait Alexander Aphrodisiensis in Comment. ad lib. 2. Topic. Et paulo post: *Verùm*, inquit, *apposuit hoc ostendendo, quod etiam tale peccatum est, & non solùm mentiri, & fierent destructiones problematum etiam secundum hoc.* Igitur quid aliud facit, qui novam causæ per accidens significationem affingit, dicendo, quod veram causalitatem habeat, quàm ut se prostituat & justam causam prodat. Quoties enim peccat disputator & justè reprehenditur, toties causâ cecidisse putatur. Nec in unius potestate est, novas vocabulis significationes dare, sed omnibus, qui iis utuntur, hæc auctoritas & potestas competit: Vocabula enim valent usu, ut nummi, quibus publica auctoritas dat pretium. Si ego hominem dicerem, quod alii plantam hactenus appellarunt; vel canem, quem alii hucusque felem vocarunt, mirabiliter cum adversario disputarem.

Qui causæ peraccidens veram causalitatem tribuũt, faciunt Deum causam propriè dictam peccati.

Sed prorumpat aliquis imperitus, vel ex malitia genuinam vocabulorum significationem pervertens, & dicat, causam peraccidens verè causam esse, seu veram causalitatem exercere, quid proficiet? nihil aliud, quàm ut id crimen ipse incurrat, cujus alium convincere conabatur, & Deum causam peccati propriè dictam faciat? Id sic ostendo: Quicquid dicitur de aliqua re, id dicitur vel per se vel peraccidens: Manifestum est ex verbis Aristotelis, cum ait lib. 1. Poster. cap. 4. *Quod propter ipsum inest alicui, per se inest; quod non propter ipsum, accidens est.* Propter ipsum enim convenire & non propter ipsum contradictoriè opponuntur, ut ens & non ens, inter quæ non datur medium, ut adeo dici nequeat, hoc prædicatur quidem de aliqua re, sed neq; per se neq; peraccidens: Posito enim, quod prædicetur, omnino prædicatur vel per se vel peraccidens, sicut posito, quod aliquid ens sit, vel est ens per se, vel per accidens: Dici enim sequitur esse. Unde ut ens in universum omne est vel per se vel peraccidens: sic & dicitur vel prædicatur aliquid de aliquo vel per se, vel peraccidens: Eo ipso n., dum prædicatur, esse dicitur, veluti dicitur aliquid esse causa efficiens, materia, forma, finis: dum tale quid esse dicitur, ens dicitur, ergo vel per se vel peraccidẽs. Nam perinde est, sive aliquid ens dicatur per se vel peraccidens, sive esse quid dicatur per se vel peraccidens. Et certum est, quod Aristoteles prædicationem respiciat, cum dividit ens in ens per se & peraccidens, quomodo scilicet aliquid alteri inesse vel ei adesse dicatur. *Patet,* ait Thomas in Comment. ad 5. Metaph. lect. 9. *quod divisio entis secundum se & secundum accidens attenditur, secundum quod aliquid prædicatur de aliquo per se vel peraccidens.*

Quicquid dicitur de aliquo, vel per se vel per accidens dicitur.

Dicit Aristoteles, quod sicut ens aliud est per se, aliud peraccidens, sic & causa alia sit per se alia peraccidens: sed

ens

ens ita dicitur per se & peraccidens, ut nullum inter hæc duo medium detur: Ergo eodem modo & causa ita dicitur per se vel peraccidens, ut nullum inter hæc duo medium sit. Deniq; lib. 1. poster. cap. 6. t. 15, dum ostendit, demonstrationem constare ex propositionibus per se & necessariis, ita ait: *Necesse est demonstrativum syllogismum ex hujusmodi propositionibus* (necessariis & per se) *constare. Quidvis enim vel ita inest* ὑπάρχει (per se) *vel peraccidens; accidentia verò non sunt necessaria.* Id explicans Joh. Philoponus in comment. h. l. sic scribit: *Quia verò eorum, quæ insunt quibusdam, illa sola necessaria sunt, quæ per se sunt, infert sic: omne enim, inquit, aut sic inest alicui, dico autem per se secundum prædictos modos ipsius per se; vel peraccidens. Quod autem peraccidens inest, non necessariò inest. Ergo sola ea, quæ per se insunt, ex necessitate sunt. Rursum igitur dico: Si omne vel per se inest alicui, vel peraccidens; quod autem non peraccidens inest, ex necessitate inest: Ergo quod per se inest, non inest peraccidens. Relinquitur ergo, quod quæ ex necessitate insunt, per se insint.* Thomas in Comment. ad eundem locum lect. 13. hæc habet verba: *Manifestum est, quod ex quibusdam principiis hujusmodi, scilicet per se, fit syllogismus demonstrativus. Quod probat per hoc, quod omne, quod prædicatur, prædicatur per se vel peraccidens, & ea, quæ prædicantur peraccidens non sunt necessaria; ex his autem, quæ sunt peraccidens, non fit demonstratio, sed magis Sophisticus Syllogismus. Unde relinquitur, quod demonstratio sit ex necessariis.* At, inquiat aliquis, nonne multa dicuntur tropicè & impropriè? verum est, sed & illa dicuntur peraccidens, non ob ipsum, sed ob aliud, ut statua dicitur homo peraccidens ob similitudinem; homo dicitur bulla metaphoricè ob similitudinem, id est, per id, quod ipsi accidit, nō per se. *Mundus sequitur ipsum*, Joh. 12. v. 19 id est

Locus Aristotelis, quod omnis prædicatio vel sit per se vel peraccidens.

Philoponus.

Thomas.

Quæ tropicè dicuntur peraccidēs dicuntur.

id est magna pars mundi, id non dicitur per se, sed per accidens ob similitudinem, apparentiam & existimationem.

Jam constat, quod in scripturis de Deo dicatur, quod induret, faciat errare, jubeat maledicere, incitet ad numerandum populum, det spiritum mendacem & vertiginis, seducat, ponat lapidem offendiculi & petram scandali, tradat in immundiciam, in reprobam mentem, immittat efficaces errores, ut constat ex dictis initiò fusè citatis. Pono autem idem esse, si quis dicat, aliquem indurare, vel durum facere, vel causam duritiæ esse; aliquem jubere maledicere vel causam maledictionis esse; aliquem seducere vel causam seductionis esse. Quis negat, nisi qui peponem pro corde habeat & cerebrum gerat in calcaneo? Quid enim est causa efficiens? nonne quæ facit aliquid, si qualemcunque libeat descriptionem dare? numquid definitum & definitio non sunt idem & de eodem dicuntur? Si igitur aliquid dicatur facere errorem, utiq; dicitur causa erroris; si dicatur facere seductionem, utiq; dicitur causa seductionis; ut si quis dicatur facere mensam, dicitur causa mensæ; si dicatur facere vestimentum, dicitur causa vestimenti; si quis dicatur facere bellum vel pacem, dicitur causa belli vel pacis, & sic in cæteris. Inductione hoc manifestum est; inductio singularium à sensibus pendet; negare autem ea, quæ per sensus manifesta sunt, ἀῤῥωστία τῆς διανοίας est.

Indurare & causam duritiæ esse idem est.

Sed dicat quis: Alia tamen phrasis hæc est, cum dico, Deus est causa erroris, Deus est causa seductionis, quàm cum dico: Deus seducit, errare facit: Nam hæc in scripturis est & excusatur per originalem textum, illa non item: At verò nonne licet verba scripturæ explicare per æquipollentia? Qualis foret explicatio, si ipsa verba scripturæ semper ingeminarentur? Igitur unum vocabulum pro altero substituitur, notius pro ignotiori, atq; ita unum per alterum

An differentia sit inter has Deus errare facit, & Deus est causa erroris.

rum explicatur. Scriptura dicit, Deus facit errare, substituat aliquis terminos Scholasticos, in bonis artibus exercitatis notiores, Deus est causa erroris, quæritur, quomodo id de Deo enuncietur? Dico non per se, sed peraccidens, per terminum alienantem & tollentem, peculiari loquendi modo in scripturis usitato, cujus tamen fundamentum datur non unum, sed multiplex, ne quis cauletur, scripturam inconvenienter loqui. Originalis textus quid efficiet, cum ejusmodi loquutiones non tantùm in veteri, sed & novo testamento reperiantur, & in omnibus linguis usurpentur? Habeat suam proprietatem Hebræa lingua, ut interdum per eam quis facere dicatur, qui non facit, ut obstetrices in Ægypto dicebantur vivificare infantes, id est, vivos facere, cum non facerent, sed tantùm non interficerent, seu vivos conservarent, Exod. 1. v. 17. Interim cum res ipsa consideratur & fundamentum talium loquendi modorum attenditur, nihilominus eò devenire aliquem oportet, ut dicat, tale quid vel per se, vel peraccidens prædicari, veluti istæ mulieres dicebantur vivificare infantes, id est, causa vitæ ipsis esse, non per se, sed peraccidens, quia removebant vel intermittebant id, quo secundum mandatum regis vita ipsis adimenda erat.

Deus in scripturis dicitur indurare, seducere, errare facere &c. non per se, ergo peraccidens.

Cum ergo tale quid de Deo in scripturis dicatur, dicitur vel per se vel peraccidens; non dicitur autem per se: Id quod in confesso est. Ergo dicitur de Deo peraccidens, quod seducat, quod errare faciat, quod induret in peccato, in reprobum sensum det, jubeat maledicere, ponat lapidem offensionis, & quæ sunt alia. Jam causa peraccidens ex sententia quorundam est vera causa, & veram respectu peccati exercet causalitatem. Ergo ex eorundem sententia Deus est causa peccati vera & propriè dicta. Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum; turpe est ostendere, quod ex alterius

sententia sequatur, Deum esse propriè dictam causam peccati, cum ipsemet ponat hypotheses, ex quibus id legitimâ consequentiâ inferatur: Nam *qui bis quinq; & bis septem dicit, is & decem & quatuordecim dicit*, ut habet Gregorius Nazianzenus Orat. 37. quæst. 5. de Theologia num. 55. Consequentia optima & clarissima est: Quicquid dicitur de aliquo, id vel per se, vel per accidens dicitur: Constat ex dictis. Deus facit errare, seducit, indurat in peccato, jubet maledicere &c. hoc dicitur de Deo: Inspicienti textum manifestum est. Ergo id dicitur de Deo vel per se vel per accidens; non per se; ergo per accidens. At quod per accidens facere dicitur, id verè ac propriè facit & causalitatem exercet, ut illi dicunt. Ergo jam Deus est causa vera & propriè dicta peccati. Blasphemum! Eò tandem devenitur, cum quis antiquos terminos movet, & receptas vocabulorum significationes mutat: confusionem inducat, se & alios implicet, & id, quod refutare sibi proposuit, imprudenter astruat necesse est.

Consequẽtia, quâ perspicuè probatur, quod Deum faciant causam peccati per se, qui causæ per accidens causalitatem tribuunt.

Quid observandũ bonis disputatoribus in doctrina de causa peccati.

Igitur qui ad limitationem adversariorum respondere conatur, non id profectò in dubium vocare tenetur, quòd causa per accidens non sit causa, & quòd id, quod per accidens facit, quà tale non faciat: sed anne causam per se pro causa per accidens ponant, vel ejusmodi causam per accidẽs, quę secum aliquid, quod ad causam per se pertineat, & quod causa moralis sit, vel aliud quid Deo repugnans inferat, attendat oportet. Dico ergo, quod adversarii Minorem cum data limitatione non possint negare, nempe hanc: Deus ex mente Zvinglii & aliorum per se cogit, movet, impellit, inclinat ad peccandum: Nam primò Zvinglius nullum aliud in scriptis suis habet effugium, quàm quod Deo non sit lex posita, & proinde ipsi nihil peccatum esse queat, etiamsi id per omnia agat, quod homo peccator. Ea ratione concedit,

Zvinglius nullum habet effugium, quàm quòd Deo non sit lex posita.

Deum esse causam peccati per se Physicam, & tantùm negat esse causam moralem, cui de jure imputari possit peccatum. At causa per se Physica est propriè dicta causa. Obtinuimus ergò, quod sua explicatione dictorum scripturæ supra citatorum faciat Deum propriè dictam causam peccati. Quod autem consequenter & causam moralem faciat, inde manifestum est, quia licet Deus legem ab alio latam non habeat, sibi ipsi tamen lex est: immutabilis enim ipsius sapientia & justitia ita omnes ejus actiones dirigit, ut nihil velle aut operari possit, nisi quod bonum & justum sit & cum recta ratione consentiat. Deinde recurrunt Calvinus & eum sequuti ad occultas Dei operationes, & dicunt, illam actionem, qua indurat, flectit, movet, impellit ad peccandum, esse occultam & omni humanæ rationi imperscrutabilem hoc ipso, quod justa dicitur: At eò devenire necesse non erat, si statuerent, actionem hanc in cordibus hominũ Deo tribui tantùm peraccidens, ut per remotionem donorum Spiritus S. vel per objectionem rerum bonarum, vel per impedimentum malitiæ. Statim enim, dum hoc dicitur, modò non aliunde quid incommodi inferatur, Deus peccati causa propriè dicta esse negatur.

Calvinus & alii eum sequuti recurrunt ad actionem occultam & imperscrutabilẽ.

Porro dicunt, quod Deus impiis ut instrumentis utatur eo ipso, quo peccant; instrumentum autem illud non peraccidens instrumentũ est, sed per se: Impii n. sunt causæ peccatorum per se. Is verò qui utitur instrumento tali, non est causa peraccidẽs, sed per se principalis. Sanè dicitur Sennacherib cum servis suis virga furoris Domini, & securis ac serra in manu ejus, id est, instrumentum, Esai. 10. v. 5. 15. at non per se, sed tantùm peraccidens ratione pœnæ Israelitarum, quæ accidebat malis factis à Sennacherib & militibus ejus intentis: Hi enim peccatum intendebant & operabantur, quod Deus tantùm permittebat; punire autem popu-

Dicunt præterea Deum peccatoribus, ut instrumẽtis uti eo ipso, quo peccant.

lum intendebat Deus ob idololatriam & inobedientiam, quod non intendebant Asſyrii. Igitur nequaquam ad peccatum ut duæ cauſæ ad communem effectum concurrerunt Deus & Sennacherib. At, inquiunt, vitium non reducitur in cauſam principalem, ſed in inſtrumentum: Reſp. effectus unus idemq;, ratione cujus dicitur cauſa inſtrumentalis & principalis, adſcribitur utriq;, primò & præcipuè cauſæ principali, ut architecto extructio domus, militi jugulatio hominis; ſecundariò cauſæ inſtrumentali, ut eadem extructio ſerræ, ſecuri, malleo; & jugulatio enſi vel bipenni. Aliud eſt loqui de vitio in inſtrumento, aliud de effectu utriq; cauſæ communi. Neq; Deum hîc conſiderant, ut cauſam univerſalem, de qua dici ſolet, quod defectus, qui ſpectatur in effectu, non reducatur in eam, apud Thomam, 1. part. quæſt. 49. art. 2. ad 2. & part. 2. quæſt. 79. art. 1. ad 3. Sed ut cauſam particularem, quæ per ſe & immediatè determinat effectum, ut ſupra vidimus ex Calvino & Beza, quod cauſam univerſalem hîc diſertè removeant. Ulterius dicunt, Deum velle & intendere peccatum: Agit enim actione quadam ineffabili in cordibus reproborum eo fine, ut peccent & in peccato obfirmentur, & ſic conſequenter Deus in ipſis juſtitiam ſuam oſtendat. At qui agit ea intentione, ut ſit vel fiat peccatum, quocunque modo agat, ſive removendo, ſive objiciendo, ſive impediendo, ſive alia ratione, eſt cauſa peccati moralis, ut ipſi jure imputari poſſit peccatum. Imo dicunt, Deum velle peccatum voluntate beneplaciti, cui reſiſti non poſſit, & quæ ſit omnium eorum, quæ fiunt, cauſa prima. Quod an ſine Phyſica quadam determinatione voluntatis fieri poſſit, quæ faciat cauſam peccati per ſe Phyſicam, non immeritò dubitatur. Præterea dicunt, Deum ab æterno quosdam abſoluta voluntate ſeu ex mero voluntatis arbitrio deſtinâſſe ad damnationem &

Dicunt, Deum velle & intendere peccatum.

Dicunt, Deum abſoluta voluntate ſine intuitu peccatorum de-

causas

causas damnationis, quæ sunt peccata, imo hoc consilio ac fine creâsse quosdam homines & conservare eosdem. Qua ratione Deus, quacunq; etiam actione & inclinatione hoc decretum exequatur, necessitatem peccandi injicit à priori, quæ non potest provenire, nisi à causa per se seu propriè dicta. Porro dicunt, quod Deus imperet & jubeat peccatum, non quidem mandatô externô, sed internô propriè dictô: Quod vix aliter intelligi potest, quam de inspiratione & directa flexione in peccatum. Et hac ratione iterum causa per se peccati fieret, tum Physica, tum moralis. Deniq; sententia illorum est, quod Deus removeat prohibens, scilicet auxilium Spiritus sancti, quod ad vitandum peccatum necessarium est, sed in immeritis, nullâ præcedente culpâ, ut in primis parentibus: Eos enim voluntate & destinatione Dei lapsos esse dicunt, quia ita expedire judicaverit: itemq; in reprobis omnibus jam inde ab æterno, ut volunt, exitio destinatis, idq; citra peccati intuitum. Sic quidem est causa per accidens ea, quæ dicitur removens prohibens, sed simul est causa moralis, cui jure imputari possit peccatum. Nec est, quod dicant: Deus homini nihil debet, sed gratis dat, quod de bonis suis ipsi communicat, igitur & pro beneplacito iterū dona gratiæ auferre vel ea negare potest: Nam Deus per suam sapientiā & justitiā, secundum quam semper agit cum creatura rationali, obligatus est homini, ut auxiliô gratiæ necessariô in prima creatione concesso eum non destituat, nec potest quis creaturam rationalem miseram facere, si mala merita non præcesserint, sine injustitia. Deinde & homini post lapsum Deus se obligavit ex summa & superabundanti misericordia ad neminem deserendum vel auxiliò gratiæ destituendum, nisi id incredulitate & cōtumaciâ adversus Evangelium fuerit promeritus. Id, quod universales promissiones gratiæ omnes & singulos homines,

stinâsse quosdam æterno exitio.

Dicunt, quod Deus interno mandato jubeat peccatum.

Dicunt, quod Deus denegat auxilium gratiæ immeritis.

nes, si literā respiciamus & universalē Ecclesiæ interpretationē retineamus, cōcernētes, manifestè evincunt. Unde & tanta severitate iis, qui non credūt in Christum & damnantur, incredulitas & contumacia exprobratur, & quod ob eam damnentur, inculcatur. Igitur vi novi fœderis, quod cum homine post lapsum in filio iniit, tamen obligatus erat, ad necessarium auxilium gratiæ omnibus dandum, idq; cum dicunt adversarii, Deum quibusdam sine respectu ad contumaciam ipsorum, tanquam meritum negare vel subtrahere, idipsum negare dicunt, ad quod dandum obligatus erat, & sic tamen fit causa peccati moralis.

Augustinum quidam excusare conantur.

Hæc ita ex Zvinglii, Calvini, Bezæ & aliorum sententia sequuntur, uti verba ipsorum indicant, eaq; meritò responsioni eorum, ad argumētum supra allatum datæ, opponuntur, ad quæ ipsis iterum respondendum est, & facilè patebit, qua in parte hallucinentur, an propè ad veritatem accedant, an procul ab ea absint. Sanè quod Augustinum attinet, laborant auctores non indocti, tum ex veterib9, tum ex recentioribus, ut eum excusatum eant per distinctionem causæ per se & per accidens, tanquam in omnibus tantùm intellectum vellet causam per accidens. Thomas de Aquino 1. 2. quæst. 79. art. 1. ad 1. sic ait: *Quod autem Augustinus dicit in Lib. de gratia & lib. arb. unde sumpta est glossa, quod Deus inclinat voluntates hominum in bonum & malum; sic intelligendum est, quod in bonum quidem directè inclinat, in malum autem, in quantum non prohibet, sicut dictum est, & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.* Vereor autem, ne frustra sint exculpationes: Certum enim est, quod Augustinus iis loquendi modis utatur, qui antè in Ecclesia non fuerunt auditi; & quod aliquem, ineffabilē, inexplicabilem modum operandi malum in cordibus impiorum ponat, distinctum à desertione, ut testantur verba

ejus

ejus ſupra à nobis citata; & quod confugiat ad occultam juſtitiam, ſeu fateatur, nihil occurrere, per quod ejusmodi actio in cordibus impiorum clarè & perſpicuè ab injuſtitia liberetur, & proinde occulta hîc Dei judicia dicenda eſſe. Certum etiam eſt, quòd gratiam, quâ homines ad ſalutem perveniunt, ſecundum intentionem & voluntatem Dei ad ſolos electos reſtringat: Quod alibi fusè monſtratum. *In eo, quod aliis eam* (gratiam) *dat, aliis non dat, cur nolunt cantare Domino miſericordiam & judicium? Cur autem illis potius, quàm illis detur, quis cognovit ſenſum Domini?* ait lib. de Bono perſeverantiæ cap. 11. Tom. 7. Inde verò ſequitur, quod ſit cauſa moralis reſpectu peccatorum à reprobis commiſſorum: quia ſcilicet non dat ipſis, ad quod dandum obligatus erat, ſi eos ob incredulitatē & contumaciam adverſus Evangelium, quod tota ſcriptura clamat, damnare vellet. Eapropter melius forſan cum Hincmaro Rhemenſi, qui multò ante Thomam vixit, lib. de Prædeſtinat: cap. 8. id, quod ipſe Auguſtinus de ſe & ſcriptis ſuis ait lib. de Bono perſeverantiæ cap. 12. hîc citamus: *Nemo,* inquit, *ut opinor, eſt tam injuſtus atq; invidus, qui me proficere prohiberet, atq; in hac dubitatione mihi remanendum eſſe judicaret. Cum verò rectius poſſit intelligi, non me propterea de hac re dubitâſſe credi oportere: quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi.* Et cap. 21. *Quamvis neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in his, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficienter me exiſtimo, Deo miſerante, ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantius loquor, quàm verius, ſi vel nunc dico, me ad perfectionem ſine ullo errore ſcribendi jam in iſta ætate veniſſe. Sed intereſt quantum & in quibus rebus erretur, & quam facilè*

Quomodo Auguſtinus nonnihil excuſari poſſet.

facilè quisq; corrigat, vel quantâ pertinaciâ suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei, quæ proficienti defuerunt, & perficiendus, quàm puniendus potius judicetur. Hæc citat Hincmarus, ego addo quod dicit Epist. 7. ad Marcellinum Tom. 2. *Fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius vel indoctius à me positum est, quod non solùm ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur, verùm etiam à me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio, nec mirandum est nec dolendum, sed potius ignoscendum atq; gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perversè seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò enim melius & utilius, ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus, quod volo, præstiterit, ut omnium librorum meorum quæcunque mihi rectissimè displicent, opere aliquo ad hoc ipsum instituto colligam atq; demonstrem: tunc videbunt omnes homines, quàm non sim acceptor personæ meæ. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ vel intelligentiâ reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causas suscepistis, facilè in ea me ipso judice superamini ——— Ab hac ego excellentia tam longè absum, ut si nullum verbum, quod revocare vellem protulero, fatuo sim, quam sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt autoritate dignignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assecutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ, quia non valuit omnia pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Hæc est modestia Augustino

stino

ſtino digna, quæ ſi in omnibus hoc exulcerato tempore reperiretur, contentionum profectò minus in Eccleſia eſſet. Neq; enim penſi amplius habent homines, vel quantus ſit error, vel in quibus rebus erretur, & quàm modeſtè quid quisq; ſentiat, vel ſentire quemq; deceat, ſed placita ſua nudius tertius excogitata, nullis rationibus ſubnixa pro veris dogmatibus, imo pro articulis fidei aliis obtrudunt, & qui manifeſtum errorem contra conſcientiam approbare nolunt, eos anathemate illigant. Hæc quidem veſania eſt noſtro ſeculo propria, at nimiùm à priſca devotione & pietate & eruditione aliena.

Alios præter Auguſtinum quod concernit, optandum eſſet, ut omnes idem nobiſcum ſentirent, licet non idem hactenꝰ nobiſcum locuti fuerint, imò ut & mentem & linguam eandem nobiſcum haberēt. Sic enim non eſſet, quod reprehenſionem aliquam incurreret. Noſtra enim doctrina in præſenti quæſtione hæc eſt, quod Deus induret, errare faciat, ſeducat, maledicere jubeat &c. peraccidens eo modo, ut ſupra explicavimus, quia permittit peccatum, cum illud impedire poſſit, quia juſtò judiciò ſubtrahit peccatoribus auxilium gratiæ, ſine quo neceſſariò in peccata ruunt; quia conſervat & ſuſtentat peccatores, eosq; beneficiis cumulat, quos juſtè ê medio tollere poterat; quia impedit peccata iisq; metas & terminos præſcribit; & deniq; quia manifeſtat peccata: quæ actiones vel omiſſiones omnes ſe habent reſpectu peccati peraccidens; adeoq; hac ratione tantum dicitur Deus cauſa erroris, ſeductionis, duritiæ cordis &c. peraccidens termino alienante & tollente, hoc eſt, non cauſa, ſed quæ tantùm ob ſimilitudinem & apparentiam ſic dicatur, propterea, quod effectibus Dei per ſe intentis, jam nominatis accidant peccata in eodem ſubjecto, vel loco, vel tempore, modô loquendi in communi ſermone

Vera ſententia ſummatim.

ne frequentatò, quò & severa Dei judicia peccatoribus proponuntur. Sic dictis scripturæ constat sua veritas & Dei sanctitas plenissimè vindicatur, ne ullus remaneat scrupulus. Id quod fieri non potest, si Theologus hos terminos explicare & rectè adhibere non didicerit. Meris rem tenebris involvet, quæ distincta sunt maximè, confundet, & neq; alios neq; seipsum intelliget. Id quod jam usu venit iis, qui novas hactenus inauditas horum vocabulorum significationes fingunt. Imo quæ causa lapsus in hac doctrina Zvinglio, Calvino, Bezæ & aliis fuit, quàm quòd de causis per se & per accidens antè ex philosophia & legitima inductione, cuì universa superstruitur philosophia, tanquam de rebus multùm diversis non satis informati fuerint. Expendat quis illorum verba, quàm impingant in descriptionem & distinctionem causarum, quàm ea, quæ distingui oportebat, confundant, & bonam imo præcipuam partem inconvenientem dictorum citatorum interpretationem ex ignorantia Philosophiæ manâsse fatebitur. Tota hæc doctrina à debita evolutione & distinctione causæ dependet: Quod & inde constat, quia de causa peccati inscribitur, & titulum causæ in fronte gerit, qui & subinde in tractatione repetitur, & à nobis atq; contradicentibus identidem usurpatur. Ideo non potest quis vel statum controversiæ rectè formare, vel argumentari, vel argumenta proposita defendere, vel ad argumenta contraria respondere, nisi hi termini rectè distinguantur, explicentur & usurpentur.

Causa erroris in doctrina de providétia Dei Zvinglio, Calvino, Bezæ bonam partem fuit ignorantia Philosophiæ.

Sed, inquiat aliquis, est tamen horrida locutio & meritò omittenda: Deus est causa peccati peraccidens: Nam nec vir bonus ferre potest, si dicatur causa adulterii, furti, homicidii peraccidens; vel fur adulter, homicida, latro, blasphemus peraccidens, quantò magis nefas est hoc de

Qualis phrasis sit, Deus est causa peccati peraccidés.

Deo

Deo dicere. Verùm advertere debebant tale quid proferentes, quod non nobis, sed ipsi Spiritui Sancto litem intendant: Nam is ita loquitur in scripturis: Deus errare facit, seducit, indurat, in sensum reprobum dat, tradit in passiones ignominiæ, jubet maledicere, & quæ sunt multa alia. Hos loquendi modos sugillant, hos horridos dicũt, & quibuscunq; aliis dicteriis insectantur. De his dicunt, vir bonus non patitur, ut de ipso dicatur, quod seducat, quod errare faciat, quod in malitia obfirmet, igitur multo minus de Deo hoc dicendum erat. Itane verò, homuncio, Spiritum sanctum reformare par erat, & ei modos loquendi, quibus uteretur, præscribere? Itane horridæ & blasphemæ videntur loquutiones, quibus scriptura utitur, & districta Dei judicia contumacibus peccatoribus ob oculos ponit? Probavi enim, quod æquipollentes per omnia phrases sint, Deus facit errare & Deus est causa erroris: Neutra enim plus vel minus alterâ significat. Igitur qui hanc locutionem accusat, simul & scripturam accusat. Hoc autem libenter damus, quod sicut verba scripturæ, Deus seducit, errare facit, non temerè & seorsim sine explicatione usurpanda sunt, ne ab imperitis in malum sensum rapiantur: sic & illa phrasis Scholastica non sit incircumspectè coram quovis temerè usurpanda, idq; sine explicatione. Quisq; observabit illud Apostoli: *Omnia ad ædificationem fiant*, 1. Corinth. 14. v. 40. Ipsæ locutiones in se vitiosæ non sunt, & proinde si aliquis iis malè utatur, non illæ accusandæ sunt, sed hic reprehensionem meretur.

Uti verba scripturæ, Deus seducit, errare facit, jubet maledicere, indurat, non temerè sine explicatione, coram quibusvis usurpanda sunt; sic nec illa, Deus est causa peccati peraccidens.

Deinde quomodo repugnaret bono viro, si diceretur peccâsse peraccidens, cum terminus peraccidens sit alienans & tollens, qui quod ob apparentiam & similitudinem ponebatur, in rei veritate tollit, ut, Magistratui nihil detrahitur, si dicatur causa homicidii peraccidens, amputari curans

Bono viro non repugnat, si dicatur peccâsse peraccidens.

rans

rans homini flagitioso manum, qui inde moriatur; vel bona alicujus omnia in fiscum redigens, qui inde mediis vitæ destitutus intereat. Aliud autem est, dicere aliquem peccare, maledicere, occidere, blasphemare; aliud peccatorem, maledicum, homicidam, blasphemum: Illud enim unicum actum infert, & tantùm causam notat, etiam impropriè dictam; hoc autem & habitum & intrinsecam denominationem, hoc est, vitium inexistere: Nam ut plurimùm ex habitu peccator, injustus, maledicus, blasphemus dicitur, & talis quis vocatur per denominationem intrinsecam. Unde scripturæ phrasin, Deus errare facit, seducit, indurat, cum his comparare impietatem sapit. Præterea, dum scriptura dicit, Deum indurare, in reprobum sensum dare, seducere, severa Dei judicia in impios ostendit: cui scopo nihil deserviunt illæ confictæ, blasphemæ phrases: Deus est homicida, seductor, latro, Ubi istæ loquutiones usurpantur, ut eas per distinctionem causæ per se & per accidens excusare cogamur? Neq; quæstio est, quomodo novas loquutiones, nemini hactenus auditas fingamus, & eas postea per causam per accidẽs excusemus; sed quomodo loquutiones in familiari sermone frequentatas, itemq; Spiritui sancto usitatas & in scripturis occurrentes rectè explicemus, ut scripturæ sua constet veritas, & tamen Deus nullo modo causa peccati fiat.

Patres an modum hunc loquendi usurpent, & quomodo.

At, inquiunt, Patres tamen hanc materiam diligenter explicarunt, & contra antiquos hæreticos, qui Deum causam peccati faciebant, defenderunt, qui tamen istis vocabulis causæ per se & per accidens non fuerunt usi. Respondeo, Patres pleriq; Philosophiam Peripateticam non excoluerunt, sed Platonicam & Stoicam potius, & genere sermonis Rhetorico seu Homilitico, non Scholastico, usi sunt. Interim idem dicunt, quod nos, verbis æquivalentibus,

uti supra vidimus, & exemplis ac similibus iisdem utuntur, distinguentes id, quod est causa per se & per accidens, licet hos terminos Scholasticos non usurpent. Imo interdum etiam in explicationem & distinctionem vocabulorum horum declinant, necessitatem, quæ incidere potest, istius explicationis ostendentes. Clemens Alexandrinus disputans contra eos, qui Deum causam vitiorum dicebant ex eo, quod liberum hominis arbitrium non prohibuisset, vel adhuc cohiberet à peccato, inter cætera sic scribit lib. 1. Stromat. in medio: *Scio multos in nos assiduè insurgere, & id, quod non prohibet, causam esse dicere. Furti enim causam esse dicunt eum, qui non servavit, vel eum, qui non prohibuit: quemadmodum incendii eum, qui ignem non extinxit incipientem, & naufragii gubernatorem, qui rudentem non contraxerit. Jam verò puniuntur à lege qui horum causæ sunt: nam in cujus potestate erat situm prohibere, in eum ejus, quod accidit culpa confertur. Ad eos a. dicimus, in faciẽdo, operando & agendo causam intelligi. Id a. quod non prohibet, hoc ipso remotũ est ab operatione. Præterea causa quidem versatur in operatione, quemadmodum navis ædificator in eo, quod fiat scapha; domus a. ædificator in eo, quod ædes construantur. Id a, quod non prohibet, ab eo, quod fit, separatum est. Propterea ergo perficitur, quod id, quod potest prohibere, non operatur nec prohibet. Quid enim operatur, qui non prohibet? —— Diabolus autem cum liberum haberet arbitrium & duci posset pœnitentiâ & furari, ipse quoq; furti causa est, non autem Dominus, qui non prohibuit. —— Quod si subtiliter adversus eos agendum est, sciant id quidem, quod non prohibet, quod in furto factum esse dicimus, nullo modo esse causam: in id autem, quod prohibet, causam culpamq; conferri. Qui enim clypeo protegit, ei, qui protegitur, causa est, ne saucietur, prohibens ipsum sauciari —— Unde qui prohibuit quidem causa est: qui autem non prohibuit liberam anima*

Clemens Alexandrinus de prohibente & non prohibente.

animæ electionem, justè judicat, ut vel maximè quidem Deus nobis non sit causa vitii.

Ex quibus constat, quod & Patres interdum in hac materia subtiliter de causis disputare coacti fuerint. Causam dicit, quæ facit, agit, operatur; quod autem non facit, non agit, non operatur, non causam; & inde probat, id quod non impedit, non esse causam, nempe Physicam, ut ædificator navium est causa scaphæ; interim interdum talis causa est moralis, ut ipsi imputari possit effectus, si scilicet non impediat, cum esset obligata ad impediendum, ut si gubernator navis rudentem non contraxerit. Interim id quod permittit seu non impedit, ut tale, dicit, nullo modo causam esse, positô scilicet, quod nulla moralis obligatio interveniat. Id autem, quod prohibet vel impedit, dicit esse causam, scilicet moralem, cui jure imputari possit effectus, ut si quis clypeo alterum protegat & impediat, ne vulneretur, intendens protectionem: Inde enim laus vel vituperium oritur; quanquam quis movendo clypeum impetum imprimere potest gladio vel sagittæ hostili, dum eam retorquet, & sic erit & causa Physica per se istius repercussionis. Inprimis notandum est, quod loquatur, non de quovis impedimento, sed de impedimento liberi arbitrii: Quæstio enim est, anne Deus sit causa peccati, quia non impedit & prohibet liberum arbitrium, cum illud impedire posset; & dicit, quod qui non prohibet, nullo modo sit causa; qui autem prohibet & impedit illud, sit causa, nempe Physica, si operetur & agat; vel moralis, si non operetur vel physicam seu realem actionem non habeat.

Chrysostomus. Chrysostomus Homil. 10. in Roman. 5. super illa verba: Lex autem intravit, ut abundaret delictum: *Hîc autem*, inquit, *vox hæc, ut, non causam dicit, sed eventum denotat: Neq; enim lata lex est, ut abundaret, sed lata quidem, ut minueret*

ret & tolleret peccatum: contrarium autem accidit non à legis natura, sed ab eorum ignavia & socordia, qui legem accepere. PetrusChrysologus Episcopus RavennasSeculi V. Scriptor Serm. 112. idem his explicat verbis: *Ecce ut Apostolus dicit: Non immutatione delictorum lex fecit, sed copiam: non per se, fratres, sed per eum, qui legem per imbecillitatem ferre non poterat. Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ sanis à Deo creata est oculis; sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest & ferre claritatem. Ita & lex, fratres, quæ per se satis justa erat & satis sancta, dum ab homine fragili severam exigit disciplinam, magis magisq; oneravit & prodidit delinquentem.* Idq; uberius declarat Serm. 115. agens de vitiis & pasionib9: *Quas lex*, inquit, *dum prohiberet, admonuit; dum discuteret, ampliavit; dum accusavit, reddidit chariores: & quæ per ignorantiam latebant, fecit esse per scientiam notiores. Et sicut per falcem spinæ magis, dum succiduntur, accrescunt: ita dum resecantur per legem, pullulant pasiones: quia intrinsecus velut in radice carius fixæ solidantur.* Hi habent distinctionem inter causam per se & per accidens, & simul innuunt, causam per accidens non esse causam, ut adeo usus horum terminorum, licet in patribus non admodum frequens sit, nec tn. doctrinæ patrum repugnet, sed optimè cum ea consentiat. Deinde constat, quod Patres scientias philosophicas ad rectam Theologiæ tractationem requirant, sicut dicit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. *Philosophiam ad religiosam pietatem utilem esse, eò, quod prævia quadam eruditio sit iis, qui fidei per demonstrationem fructum colligunt.* Ergo nec propositiones & terminos Philosophicos respuere possunt. Porro non statim quis convincitur à doctrina patrum discessisse, si vocabula quædam usurpet, patribus non usitata, modò in reipsa consensus sit. Quod illi strictim di-

Chrysologus.

xerunt, poteſt nervoſius & prolixius explicari adhibito majori ex ſcientiis Philoſophicis lumine, præſertim cum anſa datur à novis contradicentibus. Deniq; aliud eſt doctrina fidei, alius modus eam explicandi, qui varius eſſe poteſt, & apud quosdam melior, quàm apud quosdam, prout in bonis artibus magis vel minus verſati ſunt.

Termini cauſæ per ſe & peraccidens antiquitus in hac materia uſurpati ſunt.

Peripatetica Philoſophia jam in Scholas recepta eſt, & iſti termini cauſæ per ſe & peraccidens, paſſim & à Philoſophis & à Theologis jam inde à Seculo XII. in Occidente uſurpantur ab iis, qui in hac materia verſantur, idq; non ſine fructu & perſpicua difficilium quæſtionum explicatione. Ideo meritò antiquis ſemitis inſiſtimus. Thomas de Aquino 1. 2. quæſt. 79. ex profeſſo tractat quæſtionem, an Deus ſit cauſa peccati, & ſanè negat, eum directè vel indirectè eſſe cauſam peccati. Nam per cauſam, quæ indirectè dicitur vel peraccidens eſt cauſa peccati, ſimul intelligit cauſam moralem, veluti cùm ait art. 1. *Non poteſt* (Deus) *directè eſſe cauſa peccati, ſimiliter etiam neq; indirectè: Contingit enim, quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata quod ſi præberet, non peccarent; ſed hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cum ipſe ſit ſapientia & juſtitia. Unde non imputatur ei, quod alius peccet, ſicut cauſæ peccati: ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Et ſic patet, quod Deus eſt nullo modo cauſa peccati.* Sed art. 3. ſic ſcribit: *Cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille, qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit; & per hunc modũ Deus eſt cauſa excæcationis & aggravationis aurium & obdurationis cordis.* Commentator Thomæ Thomas de Vio Cajetanus ibidem art. 1. in Reſp. ad 3. ait: *Adverte, quod tunc abſentia cauſæ agentis dicitur cauſa defectus, quando debebatur præ-*

Thomas.

Cajetanus.

præsentia. Et propterea, quia nunquam, cum rebus debetur, Deus subtrahit influxum, ideo non sequitur propriè loquendo, quod Deus sit causa defectuum ex hoc solo, quod non facit. Quamvis quandoq; scriptura ipsum tali modo causam appellet.

Clarius adhuc Gabriel Vasquez ad posteriorem Thomæ locum citatum disput. 129. c. 10. *Conclusio*, inquit, *est, Deus est causa per accidens indurationis, hoc est removens prohibens.* Et disput. 95. in primam partem Thomæ c. 12. ubi diversos modos indurationis recenset, inter cætera ait: *Primus est Origenis tertio periarch. c. 1. ante medium, Augustini Epist. 105. & lib. de prædest. & gratia c. 4. & lib. de essentia Dei, qui adscribitur Hugoni de S. Victore, Hieronymi in illud ad Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, Chrysostomi Theophyl. & Anshelm. in eundem locum & in illud ad Rom. 9. Quem vult, indurat. Qui putant ex eo solùm Deo tribui indurationem & reprobum sensum, quia est causa permissionis, subtrahens & denegans auxiliũ gratiæ suæ, ex quo tanquam ex causa per accidens induratio voluntatis & reprobus sensus procedit.* Ecce hanc declarationem tribuit ipsis Patribus. Vasquez.

Franciscus Suarez similiter in cõtroversia, an Deus sit causa peccati, Tract. 5. in 1. 2. Thomæ disput 5. semper expresè determinat, *quod Deus per se & directè non sit causa peccati.* Suarez. Dionysius Petavius Jesuita Tom. 1. dogmatum Theologicorum lib. 10. cap. 8. tractans quæstionem de causa peccati contra Calvinum sic ait inter cætera §. 2. *Neq; verò excusari sic potest, ut ex accidente, non autem propria per sese causa peccati dicatur ab illo Deus. Hoc enim effugium interclusit ipse sibi, dum Catholicos Theologos irridet, qui eatenus causam esse volebant Deum, quòd permitteret peccatum: non autem vellet aut efficientiam ullam adhiberet.*

Nostri Theologi semper in explicādis dictis supra citatis distinctione causæ per se & per accidens usi sunt.

Sed majoris momenti fuerint apud non nullos testimonia, quæ ex nostris Theologis adduxero. Communis enim & tritissima etiam inter nostros est ista dictorum scripturæ citatorũ explicandi ratio, quam jam dedi, per distinctionē causæ per se & peraccidens. Citabimus eos inprimis, quos ii, qui hîc contradicere amant, sua persuasione minimùm repudiare possunt. Auctores Centuriar. Magdeburgens. Matthias Flacius, Johannes Wigandus, Matthæus Judex, Basilius Faber Centur. 1. lib. 2. cap. 4. fol. 40. hunc in modum loquuntur: *Act. 19. concionante Paulo in Epheso quidam indurātur nec credunt malè loquentes de via Domini ad multitudinem: Sed tamen non per se, verùm per accidens hunc effectum verbo Dei tribuunt, dum docent, indurationis & excæcationis impiorum causam esse diabolum & repulsionem Spiritus S. contemptum verbi, impœnitentiam, & justum Dei judiciū.* In subsequentibus fol. 408. *Sunt autem effectus, qui adscribuntur ministerio verbi duplices: alii per se, ut vocant, alii per accidens. Primi generis sunt, quod Deus per vocale ministerium verbi operatur veram & salutarem auditorum conversionem in salvandis —— Secundi generis sunt, voce ministerii arguentis peccata nostra inflammari iracundiam ad odium ministrorum & prosequendum eosdem —— indurari & non credere —— esse odorem mortis ad mortem —— Caterùm hujus effectus causas veras esse tradunt diabolum —— & mentem reprobam & pollutam.* Et fol. 444. *Causas autem scandali duplices esse docuit: alias per se, à quibus verè dependet offensio illa; alias per accidens, quæ non sua naturâ operantur offensionem. Causa per se sunt ratio & sapientia hominis, quæ non intelligit nec percipit ea, quæ sunt Dei —— causas accidentarias, hoc est, quæ non efficiunt offensionem, nisi*

Auctores Centuriarum Magdeburgensium.

Causæ peraccidēs non efficiunt.

nisi in iis, ubi causæ prius recitatæ antea existunt, has ferè licet ex Scriptis Apostolorum colligere: opera recta & honesta —— reprehensio & objurgatio peccatorum —— pura & sincera doctrina Evangelii &c. Matthias Flacius seorsim in Clavi scripturæ, in verbo, Cæcus, fol. 94. in illa verba Joh. 9. In judicium veni in hunc mundum, sic scribit: *Ibidem v. 39. ait* (Christus) *se adhoc venisse, ut videntes cæci fiant, id est, qui putant se oculatos esse, cæcitatis suæ redarguantur, aut etiam indurentur deterioresq; fiant. Cujus excæcationis Christus per peraccidens causa est, sicut sol talparum.* Ægidius Hunnius Wittebergensis Professor hæc habet verba in quæst. & responf. de Providentia Tom. I. f. 723. *Dicis, hominem sua sponte se avertisse à Deo. Atqui Deus ipse subministravit primis hominibus & occasionem & materiam peccandi, proposita lege, de vitando fructu arboris scientiæ boni & mali? Non eo fine Dominus protoplastis legem hanc tulit, ut illius prævaricatione mortem & condemnationem sibi suisq; posteris accerserent, sed potius, ut ea esset illis materia exercendæ suæ in creatorem obedientiæ. Itaq; non nisi peraccidens fit occasio lapsus partim malignitate Satanæ, partim ipsorummet hominum consentientium culpâ.* In subseqq. f. 734. sic ait: *Quo sensu tribuitur Prophetæ Esaiæ excæcatio populi, quando affatur illum Dominus: Excæca cor populi hujus & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude? Non alio sensu tribuitur hoc concionanti Prophetæ, quàm peraccidens eodem ferè modo, quo de se & cæteris Apostolis scribit Paulus: Sumus odor mortis ad mortem in his, qui pereunt. Quando enim Prophetæ & Apostoli adeoq; cuncti doctores verbi prædicant sermonem Dei, ibi homines rebelles, quò magis eis objicitur illud verbum, eò exasperantur illi furiosius —— haud aliter acsi natura cæcutientibus oculis pleno jubare objiciatur lumen solis: tunc eo fulgore non illuminantur, sed magis magisq;*

Flacius.

Hunnius.

gug, excacatur, cujus rei causa non sol est, qui per se illuminat, non tenebras inducit, sed omne vitium hæret in oculorum debilitate. Ita culpa excæcationis non redundat in Prophetam Domini, non in ipsum per se verbum, sed in homines, qui peccatis antegressis obdurarunt sibi fontem misericordiæ Dei. Comment. in cap. 21. Matth. in fin. Tom. 3. f. 484. Quanquam Christus non nisi æterna salutis petra est, de qua legitur: Ecce pono in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum —— Peraccidens tamē fit lapis offendiculi & petra scandali & signum contradictionis in ruinam positum his, qui per incredulitatem illum reprobant & aversantur. Comment. in Joh. 9. in fin. fol. 852. Tom. 3. super verba, In judicium in hunc mundum veni: Quid? annon Christus alibi dicit: Non veni, ut judicem mundum Joh. 3. Hîc verò planè contrarium videtur asserere. Respondeo: Venit omnino Christus ad salvandum & non ad damnandum mundum. Quod verò contra hanc intentionem Christi, adventus ejus in judicium Pharisæis cedit, ut magis excæcentur: id Pharisæis ipsis ob incredulitatem, ingratitudinem & contemptum tanti doni Dei imputandum est: Christo autem non nisi peraccidens tribuitur. Comment. in 2. Corinth. 2. in fine Tom. 4. fol. 296. ad illa verba, odor mortis ad mortem: Nihil igitur absurditatis implicat hæc contrariorum effectuum notatio, dummodo servetur assignata distinctio ejus, quod per se est, & quod aliunde accidit peraccidens. Nam sub eadem distinctione Deus ipse piis & obsequentibus est lux & gaudium: impiis verò est ignis consumens. Et Christus fidelibus suis est sempiterna salutis petra, est Ecclesiæ suæ lapis angularis & fundamentalis: Est è converso impiis Evangelii contemptoribus lapis offensionis & petra scandali. Observatione dignum est, quod

Distinctio inter causam per se & peraccidēs omnes apparentes absurditates tollere potest iuxta D. Hunnium.

judicio

judició D. Hunnii distinctio inter causam per se & peraccidens admodum sit utilis & omnes apparentes absurditates, quæ hîc occurrunt, tollere possit.

Georgius Mylius Hunnii Wittebergæ successor in Explanat. August. Confess. art. 19. scribit: *In causis mali neque in infinitum, neq; ad unum aliquod primum sive summum malum licet procedere: sed omnia mala reducuntur tandem ad causam aliquam bonã, ex qua malum per accidens provenit.* Mylius.

Leonhardus Hutterus in Locis Cõmun. Loc. de providentia fol. 237. *Quod per se competit hominibus, id in scripturis sæpius tribuitur Deo, sed non nisi peraccidens. Quemadmodum enim peraccidens tribuitur Soli, quod ex ejus ortu atq; splendore caliginem & dolorem sentiant, qui oculorum lippitudinem vel alios defectus patiuntur: ita peraccidens quoq; Deo ejusdemq; verbo, miraculis & beneficiis obtingit, ut ex eorum summa & utilitate & præstantia eorum animi magis obrigescant & indurẽtur, qui sunt pervicaces & inexpugnabiles. Ut exempli gratia, uno eodemq; verbo, quo illuminati sunt Israelitæ, excæcati fuerunt Pharao & Ægyptii: id quod peraccidens fieri manifestum est.* Hutterus.

Peraccidens fieri, ut quidam excæcentur verbo Dei, manifestũ est juxta Hütterum.

Item de causa peccati fol. 241. hanc format objectionem: *Ad quamcunq; actionem sequitur effectus peccati, illa ipsa actio causa est peccati. Jam verò ad actionem Dei subtrahentis suam gratiam & spiritum illuminationis, sequitur effectus peccati. Ergo illa ipsa actio Dei erit causa peccati.* Et respondet: *A causis peraccidens non valet consequentia ad effectum: sed positis actu causis per se, sequitur effectus proprius. Jam verò subtractio gratiæ non est causa per se peccati. Quin potius peccatum est causa subtractionis gratiæ: ita ut propriè loquendo peccatum præcedens causæ respectum; subtractio verò gratiæ effectus rationem obtineat.* In libro de Unione Evangelicorum contra Irenicum Parei fol. 91. ait: *Unis iisdemq; mira-*

Quod Deus indurare dicatur per accidens vel tyro Theologiæ intelligit juxta Hûtterum.

culis, quibus in suo erga Deum timore confirmati sunt Israelitæ, indurati fuerunt Pharao & Ægyptii, quod posterius non nisi per accidens de Deo prædicari posse, vel tyro Theologiæ intelligit.

Balduinus.

Fridericus Balduinus itidem Wittebergensis Professor, Comment. in Rom. 1. part. 3. quæst. 8. considerans, quomodo Deus tradat in mentem reprobam pag. 107. *Talis,* inquit, *est illuminatio verbi, miraculorum multiplicatio, & similia, quibus illuminari poterant, & ex intentione Dei debebant homines, ipsi autem per accidens iis ipsis magis magisq; excæcantur. Quod patet exemplo Pharaonis: & Apostolus Paulus testatur, Evangelium, quod per se est odor vitæ ad vitam, impiis per accidens fieri odorẽ mortis ad mortẽ,* 2. Cor. 2. v. 16. Comment. in cap. 9. Roman. part. 2. quæst. 9. pag. 634. differens de lapide offensionis scribit: *Per accidens autem fit & præter intentionem Dei, ut multi offendantur, secuti humanæ rationis cõsilium, cui omnia in Christo spreta sunt & abjecta. Duos igitur usus habet hic lapis: Unus est primarius & à Deo intentus, salus hominum, de quo D. Paulus vers. ult. Omnis, qui credit in eum, non pudifiet: alter est per accidens ex hominum vitio, lapsus & offendiculum multorum, eorum nimirum, qui non credunt: primus ex Deo, alter ex hominibus est.* Comment. in 2. Corinth. 2. part. 2. capitis quæst. 1. pag. 90. *Unius ejusdemq; causæ contrarii possunt esse effectus in diverso causandi genere, ita, ut unus effectus ex causa sua prodeat per se nexuq; necessario cum ea cohæreat, alter per accidens, ubi nullum est necessarium vinculum causæ & causati, sed effectus aliam causam efficientẽ habet. Ita mel dulce est, ægris fit amarum; dulcedinis causa per se & efficiẽs est mel, amaroris autẽ non mel, sed ægri constitutio.*

Sol

Sol liquefacit ceram, indurat lutum: liquefactio à calore solis per se est, cujus proprium est liquefacere; induratio verò per accidens *à Sole*, per *se à natura & dispositione luti. Ita Christus per se autor vitæ est & lucis, & ita non venit, ut judicet mundum, Joh. 8.* Peraccidens autem fit excæcationis causa, *dum homines in ista luce non ambulant, sed pertinaci obtutu in hanc lucem oculos conjiciunt: Qua de re Salvator ipse loquitur Joh. 9. v. 39. Sic & operari vitam per se est ab Evangelio, quod propterea concio & verbum vitæ æternæ, Joh. 6. 68. —— nominatur:* operatio verò mortis peraccidens Evangelio adscribitur, *dum nimirum homines eo abutuntur ad securitatē,* per se autem est ex alia efficiente causa, *quam D. Paulus indicat infra cap. 4, 4. hujus Epistolæ: Deus enim hujus seculi, seu diabolus excæcat mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi.*

Balthasar Meisnerus & ipse Wittebergensis Professor, Decade 1. Anthropologiæ disp. 3. quæst. 4. pag. 88. objicit sibi: *Malus effectus reducitur ad malam causam, ideoq; ne progressus fiat in infinitum, poni oportet quoddam summum malum, quod principium & causa sit omnium aliorum malorum. At in causis mali neq; in infinitum, neq; ad unum primum summumq; malum opus est procedere, sed omnia mala in aliquam rem bonam reduci possunt,* ex qua malum peraccidens profluxit. Per se enim bonum causa *mali non est, cum opposita sese non gignant, sed tollant. Fit autem causa* peraccidens, *quando deviat & ab ordine conveniēti præter intentionē, si nempe malum, quà malum, accipias, declinat.* Porro objicit sibi pag. 89. *Omne per accidens reducitur ad aliquid, quod est per se, ideoq; si datur causa mali peraccidens, dandum quoq; summum malum, quod sit mali causa per se.* Respondet autem: *Verùm* στοιχεῖον *illud* Meisnerus.

illud de reductione τοῦ peraccidens ad id, quod per se est, valet quidem quoad entia verè positiva, sed non privativa; quoad effectus, non defectus: id, quod exemplo monstrorum in natura declarari potest. Horum non nisi causa peraccidens datur. Pari modo peccata ad causam per se non reducimus, nec reducere possumus, sed tandem in causa peraccidens à bono nimirum deviante acquiescimus. Sic ostendit, quomodo malum ad bonum reducatur, ut & contra Manichæos Catholica veritas defendatur. Decade 1. quæst. ult. p. 356. explicans, quot modis Deus indurare dicatur: *Quartò*, ait, ὑλικῶς *vel objectivè, quando Deus verbum offert, prodigia ostendit, & sic ad pœnitentiam vocat. Hinc enim impii magis magisq; indurantur suô, non Dei vitiô. Interim tamen ad hoc ipse Deus dicitur indurare, sed planè peraccidens, non secus atq; lex dicitur operari peccatum Rom. 7. 8. & sol excæcat lippientes, & extremum frigus per* ἀντιπερίστασιν *calorem intendit —— Et hunc indurationis modum accidentalem præcipuè attendit Lutherus in lib. contra Erasmum, cum passim scribit, Deum obtulisse verbum, ut Pharao induraretur. Factum hoc omne peraccidens, non aliter ac Evangelium dicitur odor mortis 2. Cor. 2. 16. Quod enim hoc non nisi peraccidens fiat, patet inde, quia per illud ipsum verbum, quo nonnulli excæcantur, alii convertuntur, ut constat exemplo Ægyptiorum & Judæorum, quorum illi per conciones Mosis indurabantur.* Part. 1. Philosoph. Sobriæ in quæstion. Grammat. quæst. 4. pag. 404. exponens causas, cur Deo induratio, seductio & similia tribuantur: *Tertiò*, inquit, ὑλικῶς *propter mediorum oblationem* (dicitur Deus indurare) *quibus abutuntur impii, unde id, quod ad salutem à Deo datum est*, κατὰ συμβεβηκός, *propter abusum & malitiam hominum petra fit offensionis & ἀφορμὴ ad peccandum, ob quam ipsi actio mala adscribitur,*

Lutherus de causa peraccidēs loquitur, cum Deum indurare dicit in libro de servo arbitrio, juxta Meisnerum.

Causa peraccidẽs nulla ratione causa est juxta Meisnerum.

cujus tn. in quantum mala, nulla ratione causa & autor est ——— Ita solares radii excæcare dicuntur oculos lippientium & noctuarum tantùm κατὰ συμβεβηκὸς, quatenus illi fulgorem & coruscationem perferre nequeunt. Et tali etiam modo Deus dicitur homines indurare per cõtinuatam verbi prædicationem, per ministrorum adhortationem, per prodigiorum ostentationem & alia similia media, quæ ordinata quidem sunt eum in finem, ut homo convertatur, sed ob màlitiam cordis fiunt per accidens occasio peccandi, ita, ut quò magis instat Deus admonendo, eò magis pergat homo delinquendo. Et pag. 406. *Ob quam causam ipsi Deo admonenti induratio tribuitur, non tamẽ per se, verùm καταχρηστικῶς & peraccidẽs, non secus atq; frigus circumstans caloris causa dicitur, quem tamen efficienter non producit ——— Sic Dei propositum est verbo suo mollire, non augere duritiem hominum, quod exinde constat, quia alii per illud ipsum verbum convertuntur & illuminantur: attamen quia sæpius durities cordis humani verbo non vult credere, sed quò illud magis prædicatur, magis ista reluctatur & intenditur; ideo peraccidens Deus ipse verbum prædicando indurâsse dicitur.*

Gesnerus.

Salomon Gesnerus pariter Professor Wittebergensis Comment. in cap. 6. v. 9. 10. Esaiæ pag. 157. in illa verba: Et dices populo huic &c. sic loquitur: *Deus neminẽ excæcat, indurat & impium reddit per se voluntate antecedente; quia ille condidit omnes ad imaginem suam: Ipsi verò homines propriâ malitiâ in Adamo sese excæcarunt, ut Deus in toto genere humano non nisi cæcos & obduratos inveniat, Gen. 18. Ps. 14. & 51. Eph. 2. sed excæcare & indurare Deus dicitur peraccidens, justè eos deserendo, qui ipsum prius deseruerunt, quando nimirum voluntate consequente judiciariâ verbi contemptores*

tradit in desideria eorum, ut secundum ea ambulent, quando eos tradit in reprobum sensum, hoc est permittit, ut suâ propriâ malitiâ de peccato in peccatum præcipites ruãt, donec tandem evertantur, ut exempla Pharaonis, Achitophelis, Absalonis, Judæ ostendunt, Rom. 1. v. 28. 2. Thess. 2. v. 11. Ac quod de Deo dictum, idem quoq; de concionibus verbi cælestis sentiendum est, quod illa non per se, *sed* peraccidens, *ob contemptum hominum, consequenter impios indurent. Nam Evangelium est* per se potentia ad salutem *omni credenti, Rom. 1. & odor vitæ in iis, qui salvi fiunt: sed* peraccidens odor mortis *in iis, qui pereunt 2. Cor. 2. v. 15. & Dei verbum* per se est lucerna *& fax splendidissima iis, qui amplectuntur, 2. Pet. 1. v. 19. Sed* peraccidens fit obscurum *iis, qui contemnunt & discere nolunt, 2. Corinth. 4. v. 3.* Et Comment. in Esaiæ cap. 8. v. 14. 15. in verba: Et erit vobis in sanctificationem, pag. 226. *Tertium & postremum membrum,* inquit, *tractationis de primo peccato Judæorum ostendit eventum hujus concionis apud populum, qui futurus est duplex: Nam* per se effectus vaticiniorum & verbi cælestis apud pios, *fideles & morigeros est, quòd Dominus Emmanuel Jesus Christus illis hoc pacto sit sanctificatio. Sed* contrà peraccidens apud impœnitentes *incredulos & obstinatos, non quidem absolutô Dei consiliô & decretô, sed propriâ ipsorum culpâ evenit, ut Dominus Emmanuel Jesus Christus illis sit primò grande saxum, quo impii opprimuntur: deinde petra, in qua pertinaces impingunt: tertiò laqueus, quo hypocritæ & securi fiduciâ humani auxilii capiuntur: quartò rete, quo ad temporales & æternas pœnas trahuntur.*

Weinrichius. Georgius Weinrichius Professor Lipsiensis in Postilla super Evangelia Dominicalia fol. 221. **Was das Kindlein anbelanget / so eignet er** (Simeon) **demselben wun-**

wunderbare Tittel und Nahmen zu/ denn erstlich nennet ers lapidem offensionis, einen Stein des anstossens/ oder des ergernüß/ indem er spricht/ daß das Kind ihrer viel in Israel werde zu einem Fall gesetzet. Als wolte der alte Simeon so viel gesagt haben/ es werden sich an diesem Kindlein viel ergern und stossen/ und damit einen gefährlichen Fall thun/ wie denn auch solches der Prophet Esaias lengst zuvor verkündiget hat im 8. und 33. Capittel. Daß nun das Kindlein ihrer vielen ein Stein des anstossens ist/ das geschicht nicht per se, sondern peraccidens, wie man in Schulen zu reden pflegt. Ita in Homiliis sæpe nostri his terminis usi sunt, sed addita correctione quadam seu factô indicio, quod ad scholas pertineant, ubi & fusius explicantur. Johannes Gerhardus Professor Jenensis in Locis Tom. 2, Loc. de Electione & Reprobat. §. 130. *Justo*, inquit, *judicio Dei, contumaciam & pervicaciam verbi puniente accidit, ut verbum, quod per se est verbum vitæ, ex accidente quibusdam fiat odor mortis ad mortem.* Gerhardus.

Jacobus Herbrandus Professor Tübingensis in Locis Theologicis Loco de Scandalo pag. 687. *Quæ sunt*, inquit, *causæ horum scandalorum? Duplices sunt causæ: per se & per accidens: Causæ per se sunt, à quibus illa offensio oritur & dependet.* Pag. 689. *Quæ sunt causæ per accidens scandalorum? quæ per se non efficiunt offensionem, sed ex quibus impii occasionem sumunt scandalorum. Quales sunt 1. confessio & prædicatio sinceræ doctrinæ verbi Dei, & reprehensio errorum, quos impii taxari indignè ferunt —— 2. rectè facta* Herbrandus.

Tarnovius. *facta piorum &c.* Paulus Tarnovius, Professor Rostochiensis Comment. in cap. 9. Johan. pag. 770. sic ait: *Prædicatum, quod est judicium, describit fructum illius officii duplicem, prout determinatio prædicati eum explicat: Unus est per se, quod cæci vident & illustrantur luce veræ agnitionis & fiduciæ in filium Dei: alter per accidens, quod videntes suô judiciô & sapientes cæci fiant, & occæcentur in suis tenebris ignorantiæ & incredulitatis.* Postea in Dubiis & Controversiis quæst. 1. pag. 779. *Quomodo conciliandum, quod cap. 9. v. 39. dicit Christus: In judicium ego in hunc mundum veni, cum eo, quod idem negat supra cap. 3. v. 17. se in mundum esse missum, ut judicet mundum? Resp. Hoc loco dicitur de eventu partim per se, partim per accidens, qui est, quod Jesus Christus positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, in signum, cui contradicitur, Luc. 2. 34. sicut Apostolus & ejus conciones aliis erant odor mortis ad mortem, aliis odor vitæ ad vitam, 2. Corinth. 2. v. 18. Illo dicitur tantummodò de fine per se, qui est ut salvet mundum, non ut condemnet quenquā.*

Dietericus. Conradus Dietericus Superintendens Ulmensis in Analysi Evangeliorum Dominicalium Domin. 3. Adventus pag. 41. sic scribit: *Quanquam enim ipse* (Christus) *est lapis probatus in Sion angularis, pretiosus, benè fundatus — — ex accidenti tamen in iis, qui eum per incredulitatem respuunt, propriô ipsorummet vitiô in lapidem ponitur offensionis, in petram scandali, in quo offendent plurimi & cadent, & conterentur, & capientur:* Et super Evangelium post Nativit. Domini pag. 115. *Quandoquidem verò quàm plurimi Christum salutis lapidem agnoscere nolunt, salvatorem ipsum respuunt, verbum item salutis — — à se repellunt, accidentaliter, eventualiter ac consequēter in ruinam damnationis*

tionis multorum ponitur: atq; ita non vi decreti Dei, non necessariâ Dei ordinatione, multò minus Dei impulsione, sed innata ipsorummet perversitate in petram ipsis scandali & lapidem collisionis convertitur. Idem part. 2. Dialecticæ sub fallacia accidentis sic argumentatur: *Quicquid seditiones movet, illud est abolendum. Evangelium movet seditiones. Ergo est abolendum.* Respondet autem: *Major vera est de eo, quod per se movet seditiones. Evangelium movet seditiones non per se, sed per accidens.* Ita interdum per argumentum adversariorum disputanti necessitas injicitur ad his terminis utendum.

Andreas Keslerus, Superintendens Eisfeldensis quæst. 2. Quadrigæ Discursuum Theologico-Philosophicorum Wittebergæ impressæ & à D. Balduino & D. Meisnero, ut testatur, approbatæ sic scribit: *In hac acceptione & hoc sensu* (ut hactenus declaratum) *si phrasis, Deus est causa per accidens peccati, & peccatum Dei est effectum per accidens, accipiatur, neq; Theologi repugnabunt, quod fas est colligere ex eo, quia ipsimet docent & palam fatentur, legem Dei esse causam peccati per accidens. Si hoc, ergo Deus legislator per accidens causa erit. Inquis: Cur ergo dicunt Theologi, Deum nullo modo esse causam peccati, ne quidem per accidens? Resp. 1. Illud, nullo modo, opponitur variis efficiendi modis Calvinisticis, ut sensus sit, Deus nec ordinat ad peccatum, nec instigat, nec occultè movet, nec suadet, nec præcipit, nec adjuvat nec appetit eoq; delectatur. 2. Negant orthodoxi etiam per accidens peccati causam esse, sed non contra Philosophica fundamenta, verùm si accuratè rem perpendas in disputationibus contra Calvinianos, qui in phrasi etiam, esse causam per accidens, culpam in Deum transferunt, itemq; ordinationem & occultam motio-* Keslerus.

motionem implicant. Ab hac Deum per suam negationem volunt esse liberatum. Quod si quidam Calviniani solùm ea interpretatione, quæ ex adductis argumentis oritur, impropriè, & remotè, per accidens dicunt, Deum esse peccati causam, rem ipsam non repudiat pacis satagens Theologus, quin ut & ille & omnes in corde ita sentiant, seriis votis precatur. POTISSIMA CURA ESSE DEBET UT IN REBUS CONSENTIATUR, DE MODO LOQVENDI FACILIS DEINDE FIET COMMUNICATIO INTER INGENIA MODESTA.

Cotmannus

Johannes Cotmannus Professor Rostochiensis Disp. de causa peccati, quam M. Alexander Weberus sub ipso habuit th. 27. aliquot significationes vel descriptiones causæ peraccidens recenset & inter cætera sic scribit: *Aliis deniq; τὸ peraccidens idem est, quod non causa & propter quod non sequitur effectus, estq; vel ratione causæ, vel ratione effectus.* Hinc th. 28. omnes significationes à Deo removet & negat, Deum posse dici causam peccati peraccidens, præter ultimam, de qua dicit th. 29. *Dn. D. Calixtus τὸ peraccidens variis efficiendi modis opponit. Negat enim expressè, Deum peccatum causare, vel physicè voluntatem vel movendo vel inspirando pravos motus, vel moraliter imperando, suadendo & approbando. Et ita Deus causa peraccidens dici potest, sed æquivocè, ut verè peccati causa negetur. Nam qui hoc modo Deum peccati causam dicit, hoc ipso Deum causam esse negat.* Thesi 30. pergit: *Deniq; causa peraccidens definitur, à qua non ut tali procedit effectus, eaq; dividitur in eam, quæ talis est vel ratione causæ, quando id quod accidit causæ per se, dicitur causa esse effectus: vel ratione effectus, quando cum effectu per se conjungitur effectus peraccidens: hæc locum*

Causa peraccidẽs est, à qua non ut tali procedit effectus.

habere

habere potest, non illa. Sæpe enim cum eo, quod facit Deus per se, conjugitur peccatum per accidens. Ergo hoc modo Deus causa peccati per accidens dici posset. Si quis velit audire Philosophos, Wolfgangus Heiderus, Philosophiæ Practicæ Professor Jenæ ita scribit part. 1. Philosoph. Moralis pag. 25. *An Deus malorum causa efficiens per se? Resp. 1. Mali apparentis, si res bona sit, dubium non est, quin Deus est causa. 2. Idem est causa malorum pœnæ, quæ sunt opera justitiæ divinæ, Amos cap. 3. Non est malum, quod non fecerit Dominus in civitate. 3. Non est causa per se mali culpæ seu peccati, nec in abstracto nec in concreto, sed tantùm per accidens, quatenus ens, in quo malum producitur, conservat, propagat.* In multorum quoq; manibus versatur Judicium totius Facultatis Philosophicæ Jenensis de hac quæstione, An Deus sit causa peccati per accidens, inde eandem informationem quis petere poterit. M. Heiderus. Jenenses.

Hæc quidem cordatis sufficere possunt, ut cognoscant, quod nostri hunc modum loquendi in explicandis dictis scripturæ initiò citatis semper usurpârint, quem alii sugillare, reprehendere, conviciis consectari aggressi sunt. Habemus hîc inprimis Wittebergenses præcipuos & celeberrimos, Hütterum, Hunnium, Mylium, Gesnerum, Balduinum, Meisnerum, quorum judiciô sibi standum aut cadendum in hoc loco, nî fallor, multi existimant, qui inprimis nihil sibi persuaderi patiuntur, nisi auctoritate Theologorũ firmatum sit; sed & tantô eos judiciô pollere existimo, vel certè opto, ut sciant veteranos illos Christi milites novitio uni atq; alteri anteponẽdos esse. Nova doctrina sine ratione & omni clarorũ virorum auctoritate nudius tertius enata procul hinc facessat, etiamsi Wittebergensis sit. Recentiores n. veterum Theologorum vestigia non pervertere, sed premere & conservare oportet.

 For-

Testimonia Regiomõtanorum. Forsan autem pondus majus his testimoniis adjecero, si ex Witteberga Regiomontum revertar, & quid antehac propositum hoc in loco fuerit, coronidis loco subnectam: Sic enim, quæ novitates huc intrusæ sint, ut quiritantur nonnulli, planissimum erit.

M. Artomedis. M. Sebastianus Artomedes, Ecclesiastes templi Cathedralis Regiomontani ita loquitur in explicatione Evangelii diei Dominicæ post nativitatem Domini Luc. 2. pag. 114. **Daß es aber (das** Evangelium) **vielen ein Geruch des Todes zum Tode/ Christus selbst auch ein Stein des Anstosses ist/ das geschicht** peraccidens.

M. Crusii. M. Georgius Crusius, primùm Professor Metaphysices, postea Diaconus Kneiphovianus Disp. 7. Metaphys. de Veritate & Bonitate Entis Probl. 4. ostendens, quomodo malum sit à prima causa sic ait: *His præmissis dicimus, Deum esse causam non quidem per se & directè, sed peraccidens & consequenter illius mali.*

D. Behmii, senioris. D. Johannes Behmius, Professor Theologiæ & Concionator Aulicus in Tractatu de libro Lutheri, cui nomen Servi arbitrii, Disp. 20. sub finem pag. 442. ita scribit: *Sub finem paucula subnectere necessarium judicavimus, quid de sententia illa in præcedentibus disputationibus mota sentiendum sit, quæ asseritur: Deum aliquo modo esse causam peccati, saltem peraccidens. Sanè nonnulli orthodoxorum Theologorum reperiuntur (aliquot item Philosophi) qui hac assertione usi sunt, & eam adhuc hodie defendunt. Ubi notandum 1. ab hac phrasi in Homileticis congreßibus abstinendum esse, cum piorum aures offendat 2. in Academicis acroateriis hanc assertionem nudam extra certamen positam ita resolvendam & declarandam esse, ne pugnet cum consueto omnium ferè orthodoxorum Theologorum effatô Calvinianis opposito, Deum nullo modo causam peccati esse 3. quicunq; hac insolita locutione utuntur, ipsi fatentur, se causam*

peraccidens sumere 1. vel impropriè pro ἀφορμῇ vel accidentario eventu. Vid. Calixtus in Theologica Epitome p. 132. Quo sensu non nulli scribunt, legem esse causam peraccidens peccati. Hinc p. 423. adducit modos illos quinq;, quos recenset D. Calixtus in sua Epitome, & inter cætera sic ait: *Plurimi tamen hac dilatione in suam ipsorum perniciem abutuntur & in occasionem peccandi convertunt. Verba sunt Calixti. En accidentarium eventum! Quintò ratione directionis, quando peccata Deus suâ bonitate & sapientiâ in optimos fines dirigit. His prædictis modis in sano sensu admitti potest illa phrasis, Deum esse causam peraccidens peccati. Quod si Calvinianus aliquis hac loquendi forma utatur, etiam atq; etiam videndum, ne fraudulentia subsit —— Et ob hanc causam orthodoxi in certamine cum Calvinianis scribunt, Deum nullo modo esse causam peccati. Illud enim, nullo modo, secundum subjectam materiam oppositum est variis efficiendi modis Calvinisticis. Id ergo volunt, Deum neminem ordinare ad peccatum, nec instigare & occultè movere, nec suadere, nec præcipere, nec adjuvare, nec appetere, neq; peccato delectari, nec peccanti consentire —— Nulla ergo erit realis oppositio inter Theologos & Philosophos cum 1. phrasis: Deus est causa peracidens peccati, non unum eundemq; sensum admittat. 2. non omnes ex iisdem principiis disputent &c.* Hactenus D. Behmius, cujus certè disputationes ab omnibus magni æstimatæ & à tota Facultate Theologica tunc temporis approbatæ fuerunt, nec quisquam vel ei vel eum sequutis litem super hac re intendit. Tantùm hoc tempore, quod olim orthodoxum erat, heterodoxum fieri oportebat, scilicet quia sic placuit nonnullis, quibus pro ratione voluntas est. Sed & videamus ABRAHAMUM CALOVIUM, quid ille Rostochii hac de re scripserit, quod tunc & à Facultate Theologica Rostochiensi D. Calovii.

chiensi & hac Regiomontana fuit approbatum, quoq; non obstante, in numerum Professorum paulo post hoc in loco fuit cooptatus. Hic Disput. 23. super Augustanam Confessionem Rostochii habitâ de libero arbitrio & causa peccati in fine th. 5. ex professo tractat quæstionem, An Deus possit dici causa peccati peraccidens, & inter cætera hæc habet verba: *Quidam, ex Orthodoxis Dn. D. Calixtus in Epitome pag. 133. ait, Deum causam posse dici peccati indirectè, impropriè & peraccidens quinq; modis 1. ratione permissionis 2. ratione desertionis & subtractionis gratiæ 3. ratione sustentationis & dilationis pœnæ 4. ratione ordinationis & præscriptionis metæ in peccando. Dn. Keslerus in Quadriga Discursuum Theologicorum Deum dici posse peraccidens causam peccati ait Dis. 4. s. 2. art. 3. quia à Deo dependet homo in fieri & in facto esse, omnesq; adeo actiones etiam malæ saltem remotè & peraccidens ab eo dependent, ac in quantum ipse permittit vivere, & influit, ut essentia ejus duret. 2. Quia concursus divinus in omni actione hominis simpliciter est necessarius, ita ut una sit prorsus actio 3. Quia cum eo, quod facit Deus per se, sæpe conjungitur peccatum peraccidens, quod patet 1. è gratiæ subtractione 2. pœnæ dilatione 3. peccatoris abjectione 4. minoris peccati ad præcavendum majus permissione.* Citat & M. Paulum Schlevogtium in Pervigil. de dissid. Theol. & Philos. & M. Wolffgangum Heiderum part. 1. Philos. Moral. pag. 95. & addit: *Hæc autem virorum clarißimorum sententia nihil commune habet cum* σκολιοδοξία *Cingliana præter solam appellationem causæ peraccidens. Nam illa nullo modo Deum arguit peccati, neq; ratione causalitatis Physicæ —— neq; ratione causalitatis moralis.* Et postea in fine th. 5. *Istud evidens est ex Orthodoxa eorundem sententia: Negat enim disertè Dn. D. Calixtus, Deum causare pec-*

Orthodoxa sententia quæ sit.

peccatum vel physicè movendo voluntatem & inspirando pravos motus, vel moraliter imperando, suadendo & approbando. Hinc statuit certas quasdam conclusiones ad rem declarandam, & inter cætera sic ait th. 8. *Altera generalis conclusio ita habet: Deus potest aliqua ratione dici causa peraccidens peccati, sed æquivocè, ut negetur verè esse causa peccati.* Et in subseqq. Advertendum, quòd *aliter Cinglianipleriq; Deum nuncupent causam peccati peraccidens, aliter nos judicemus, Deum posse dici causam peccati peraccidens. Unde si vel maximè quis hoc sensu, quem nos intendimus Deum asserat causam peccati, eapropter tamen, non debet postulari Cinglianismi. Quanquam ob prædictas causas ab hac locutione abstinendum sit, ubi nulla nos urget necessitas. Quod si verò è Cinglianis quidam ad eundem sese explicent modum, & quidem candidè atq; apertè, rem ipsam non repudiat pacis satagens Theologus, quin ut & illi & omnes in corde ita sentiant, seriis votis precatur,* censente Keslero. Quis paci non studeat.

Quatuor autem sunt modi causæ peraccidens, qui ad causam æquivocè dictam referri posse videntur: primò cum peraccidens fieri dicitur, quod planè non est causa, etiamsi simul fiat cum eo, quod est causa, vel quando aliud proficiscitur à causa, ut conjunctio illa sit tantùm ratione temporis; ut si quid agas, fieri potest, ut tibi tribuatur, tanquam causæ id, quod eodem tempore contingit, etiamsi cum tua actione nullam habeat aliàs connexionem: veluti si te domum intrante paterfamilias aut liberi ejus adversi quid patiantur. Sic quando aliquo ambulante tonat, dicitur tonitru se peraccidens habere ad ambulationem. Sed hic modus causæ peraccidens imperfectissimus est & attendi

 non

non solet. Secundò cum peraccidens causa dicitur, quæ removet impediens seu prohibens, quô factô sequitur effectus necessariò vel ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Juxta hunc modum appellat Deum peccati causam Petrus Martyr LL. p. 99. Hunc refutat & subjicit in fine theseos: *Quod si propterea solùm, quia Deus potest impedire peccatum & non impedit, contendat aliquis, Deum aliquo modo esse causam indirectam peccati, de nomine solùm erit quæstio.* Porro th. 9. scribit: *Atq; hæc de iis causæ peraccidens modis, quos hîc exclusos volumus. Restat, ut quartum explicemus breviter, secundum quem Deus possit dici causa peccati peraccidens.*

Causa peraccidens, à qua non ut tali procedit effectus.

Definitur causa peraccidens simpliciter, à qua, non ut tali procedit effectus, eaq; dividitur in eam, quæ talis est vel ratione causæ, quando id, quod accidit causæ per se dicitur esse causa effectus; vel ratione effectus, quando cum effectu per se conjungitur effectus peraccidens. Ita enim arguitur: Quando cum effectu per se, peraccidens conjungitur aliud, tum illius causa peraccidens dici potest agens. Εὔδηλον *ex definitione causæ peraccidens, quæ est ratione effectus. Atqui cum eo, quod Deus facit per se, sæpe conjungitur peccatum peraccidens. E. Deus causa peccati peraccidens dici potest. Assumptum probo: Actiones humanæ omnes dependent à Deo, quia sunt entia per participationem & dependentia. Quicquid ergo homo facit, id in quantùm fit, per se dependet à Deo, quia & sic coagit Deus —— Proinde cum actionibus istis peraccidens sæpe adhæreat peccatum, verum est, quod in Minore dixi, cum eo, quod facit Deus per se, sæpè conjungi peccatum peraccidens. Pluribus de his videatur in Pervigil. Paulus Schlevogt. Disc. 4. s. 2. art. 5.*

Jam

Jam quomodo hæc cum iis consentiant, quæ postea in Institutionibus suis scripsit, judicet quisq; prudens, qui eas legit. Nimirum invidiæ facibus actus, nimiô alios carpendi studiô indies dedidicit, ut quid sibi velit amplius in suis scriptis, sana mens non intelligat, nisi fortè quod bonorum famam arrodendi & in malam suspicionem adducendi propositum ex singulis pœnè chartis eluceat. Olim rectè sentiebat & de hoc & de aliis punctis, cum adhuc alios viros eruditos sequeretur, nec dum livor præcordia ejus adusfisset: At nunc, dum suis somniis & propriis adinventionibus incumbit, facit næ intelligendo, ut nihil intelligat. Deus misereatur ejus, & aliam ipsi det mentem. Interim nobis his acquiescendũ est, quæ veritati & communi doctrinæ nostratium Theologorum sunt consentanea.

Johannis Chrysostomi testimonium, ex Serm. 21. super dicto Pauli, Oportet hæreses esse, Tom. 5. supra pag. 97. potest inseri:

Ut, in scripturis plerumq; non causam significat sed magis eventum rerum. Exempli gratia: Venit Christus & cæcum videre fecit, à quo adoratus est: Judæi autem illô curatô faciebant omnia, si qua miraculum obfuscare possent, atque ita Christum repellebant; tunc igitur ait: In judicium ego in hunc mundum venit, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Ergone ea de causa venit, ut illi excæcarentur? Non ideo venit, tametsi ita evenit, ἐξέβη. Unde

ſub figura redditæ cauſæ narratur eventus, ἔκβασις. Item, lex data eſt, ut impetum peccandi prohibeat, moderatioresq́; faciat eos, qui illam acciperent. Sed ob illorum ignaviam diverſo modo accidit, auxit enim peccata; & dicit Paulus: Lex autem ſubingreſſa eſt, ut peccata augeret: cum tamen ob hoc potius ingreſſa fuerit, ut peccata minueret. Etiamſi ſecus acciderit, ob illorum inſipientiam, qui eam accepére. Sic utique, ut, nec hîc cauſam reddit, ſed eventum indicat ὀυχὶ αἰτιολογίας ἐστὶν ἀλλὰ ἐκβάσεως. Quandoquidem alia quædam cauſa eſt & origo hæreticorum. Hæc ille. Sic Patres hac de re loquuntur, ut ſi eventum dicant, id eſt, effectum per accidens, non effectum exponant.



